



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXXIX. De sententia excommunicationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

atere. Immo ante tempora Gregorii magni ab ipsa Apostolorum doctrina processit usus indulgentiarum; sic enim D. Clemens lib. 3. constit. cap. 10. scribit: Immo nec laico permittimus facere aliquod opus sacerdotale, ut sacrificium, aut baptismum, aut impositionem manus, aut benedictionem, sive parvam, sive magnam. Et lib. 8. capit. 44. Nec enim fas est Diacono sacrificium offerre, aut baptizare, aut benedictionem, sive parvam, sive magnam facere. Non dubium est, quin hic benedictionem magnam vocet Pontifex remissionem peccatorum magnorum, quæ mortalia vocantur; & poenarum inferni, quæ eis debentur; parvam verò benedictionem vocat remissionem reliquorum peccatorum, id est poenarum, quæ debentur pro peccatis magnis prius remissis; & parvorum peccatorum, quæ dicuntur venialia. Probat etiam hanc potestatem concedendi indulgentias, non solum vivis, verum etiam defunctis, Bellarminus dicto tract. de indulg. Dartis in tract. de poenit. cap. 61. per tot.

Nec obstat prima dubitandi ratio supra expensa, cui ut satisfaciant Doctores, varia adducunt. Abbas in presenti (quem sequitur Cironius in

presenti) asserit textum hunc procedere quando Archiepiscopus per provinciam suam visitationis munus exequitur, nam tunc cum & corrigere possit subditos suffraganeorum suorum, merito & illis indulgentias concedere valet. Alii docent Archiepiscopum semper indulgentias concedere posse, quia actus hic est voluntariæ jurisdictionis. Ita Suarez dict. tract. de poenit. disp. 49. sect. 3. Riccius in praxi; resol. 306. nu. 5. Barbosa de potestate Episcopi, alleg. 88. Sed hæc sententia expressè convincitur ex dicto capite Quod autem, hoc tit. Quare magis placet prior solutio. Nec obstat secunda difficultas, nam verius est, Concilio Lateranensi relato in cap. antecedenti, præscriptum fuisse formam servandam in concessione indulgentiarum non solum Episcopis, verum & Archiepiscopis; siquidem illis verbis: Quidam Ecclesiarum Prælati, comprehenduntur etiam Archiepiscopi: unde rectè notarunt Barbosa d. alleg. 88. num. 16. Fragofo dicto c. 2. lib. 2. disp. 4. §. 2. num. 20. quod si concessit Archiepiscopus quadraginta dies indulgentiarum in perpetuum, nihil amplius potest ejus successor pro eadem causa concedere, quia reputantur unus Prælati.

CAPUT XVI.

Gregorius ^a nonus.

NE pro dilatione poenitentiae periculum immincat animarum, permittimus Episcopis, & aliis superioribus, nec non minoribus Prælati exemptis, ut etiam præter sui superioris licentiam providum & discretum sibi possint eligere confessorem.

NOTÆ.

privil. Regul. tract. 3. cap. 3. propos. 8. Diana part. 10. tract. 16. resol. 76. Bard. in Bullam, part. 2. tract. 5. cap. 2. sect. 2. qui omnes rectè notant, privilegium hoc non esse revocatum per Tridentinum sess. 23. de reformatione, cap. 15. quia cum sit insertum in corpore juris, & ejus mentio specialis non fiat, non censetur derogatum: & varias illationes deducunt de Equitibus militaribus, & aliis personis exemptis.

I. ^a Gregorius IX. Qui presentem constitutionem edidit motu proprio in favorem Prælatorum, tam regularium, quam sæcularium: qui eum non possint facillè adire suos superiores, illis conceditur, ut possint sibi eligere confessarium. Quod privilegium latè illustant Fagundes in quinque præcepta, cap. 2. num. 15. Bruno Chassaing. in

TITULUS XXXIX.

De sententia excommunicationis.

CAPVT PRIMVM.

Alexander III. ^a Senon. Archiepiscopo.

Uper eo verò, quod consilium postulasti, utrum ^b Scholares, si se invicem in plena, vel minore ætate, clerici, vel religiosi viri in claustris secundum ^c canonem illum, quo statutum est, ut illi, qui in clericos violentas manus injiciunt, mittantur ad Apostolicam Sedem, pro sua absolutione debeant venire. Inquisitioni taliter respondemus, quod si clerici infra ^d puberes annos, se ad invicem, aut unus alterum percusserit, non sunt ad Ap. Sedem mittendi: nec clerici si sunt plenæ ætatis, & non odio, vel invidia, vel indignatione, sed levitate ^e jocosa se ad invicem percutere contingat: nec Magister si scholarum clericum intuitu ^f disciplinæ, vel correctionis percusserit: quia non potest in ipsis injectio manuum violenta notari. Cæterum si ex odio iidem scholares, vel sæculares clerici sese percusserint, pro sua absolutione debent ad Ap. Sedem venire.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. ^a **S**Enonensis.) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & post Concil. Lateran. *part. 14. cap. 7.* legitur *Exoniensis*; & additur in dicto capite *1. pars capituli sicut dignum.* Unde cognoscitur in præsentitextu referri partem textus in *cap. sicut dignum, de homicidio*; & ita inscriptionem restituendam esse, *Alexander III. Bartholomeo Exoniensi Episcopo.* Et ex eadem Decretali sunt textus sequentes: & ideo compilatores hanc epistolam in partes secarunt, & dividerunt, non alia de causa, quam ut casus in ea decisos separarent, & non ita diffusam decretalem compilarent.

2. ^b **S**cholares.) De scholaribus, & eorum variis acceptionibus egi in *cap. 1. de celebratione Misfarum.*

^c **C**anonem illum.) Innocentii II. videlicet, editum in Synodo Romana, transcriptum à Gratiano in *cap. si quis suadente 17. quest. 4.* quem innovavit Eugenius III. in Synodo Rom. *can. 3.* in hæc verba: *Nihilominus præsentis scriptis serie prædecessoris nostri felicitis memoria Pape Innocentii statutum confirmantes decernimus, ut si quis suadente diabolo tanti sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum, vel monachum violentas manus injiciat, anathemati subiaceat, & nullus Episcoporum illum presumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui presentetur. & ejus mandatum suscipiat.* Refert *Manrique tom. 2. annal. Cisterc. anno 1148. c. 4.* Quæ constitutio firmari potest ex variis Conciliorum canonibus congestis à Crespetio in *summa. verbo Clerici non sunt cædendi*, Antonio Augustino in *epit. juris Pont. lib. 35. tit. 1. part. 4.* Vighellio in *methodo juris can. fol. 49.* & latè exponunt privilegium hujus canonis ultra congestos à Cenedo ad *Decret. collect. 24.* & Barbosa in *dicto cap. si quis suadente*, Petrus Gregorius *lib. 4. partit. tit. 9. cap. 10. & tit. 16. cap. 11.* Fragofo de *regim. Christ. Reip. part. 2. lib. 1. disp. 2.* Delbene de *immunit. tom. 1. cap. 3. dubit. 4.* Scortia in *select. Pontif.*

constit. epit. 29. theorem 69. Saufay in Panop. cleric. 3. part. axiom. 2. Diana part. 9. tract. 4. per tot. Hieronymus Garcia in *summa. tract. 1. difficult. 3. per tot.* Gibalinus de *cenfur. in synop. verbo Injuria.*

^d **P**uberes annos.) De pubertate egi in *cap. 1. de despons. impub.* Impuberes hoc casu ætas excusat, non à censura, si jam erant doli capaces, sed propter teneram ætatem excusantur pro absolutione ad re Romanum Pontificem; & ita pueri qui nondum usu rationis pollent, cum nec peccare mortaliter possint, ideo nec excommunicationem contrahere, ut latè probant Narbona de *atate ad actus humanos. anno 10. & dimidio, quest. 8.* Gibalinus de *cenfur. disquisit. 3. quest. 4.* Si autem jam pleno rationis usu pollent, etsi ad pubertatis annos non pervenerint, incidunt in censuram canonis: sed propter ætatem possunt ab Episcopo absolvi, ex præsentitextu; immò etsi ob violentam manuum injectionem jam puberes absolutionem perierint, possunt per Episcopum absolvi, *cap. final. hoc tit.*

^e **L**ocosa.) Quia cum eo casu non detur peccatum in ipso percussente, non incurritur hæc censura. Villalobos in *summa. tom. 1. tract. 17. difficult. 22. num. 3.* Portel. in *dub. regul. verbo Manus violenta, num. 4.* Diana *part. 9. tract. 4. resol. 43. per tot.*

^f **D**isciplinæ.) Unde Magister, vel Prælati potest clericum subditum, & discipulum etiam in sacris constitutum pro ratione culpæ punire, absque eo, quod incidat in censuram hujus canonis, *cap. ex tenore, cap. ex voluntate, hoc tit.* docent Gibalinus ubi *supra, num. 5.* Castropalao *tom. 6. oper. moral. disput. 14. dub. 15. num. 190.* Diana *dit. tract. 4. resol. 21.* dum tamen ipsa correctio modica sit, juxta tradita in *cap. presbyterum de homicidio*; & etiam superior sua correctione ad sanguinis effusionem non perveniat, juxta tradita in *cap. 1. de calumn.* & tradenda infra in *cap. universitatis*; & an idem procedat in patre percussente filium sacris ordinibus initiatum, dicemus infra in *cap. cum voluntate.*

CAPVT II.

^a Idem.

Monachi verò, & canonici regulares, quocunque modo se in claustris percussent, non sunt ad eandem Sed. mittendi, sed secundum providentiam, & discretionem sui Abbatis disciplinæ subdantur: & si discretio Abbatis non sufficit, ad eorum correctionem est diocæsani Episcopi providentia adhibenda.

NOTÆ.

1. ^a **I**dem.) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* & post Concil. Lateran. *part. 14. cap. 8.* & refertur in præsentitextu pars textus antecedentis. Ejus meminerunt Innocentius III. in *cap. cum illorum 32.* Honorius III. in *cap. considerata, 50. hoc titulo.*

COMMENTARIUM.

2. **L**icet Abbates non possint absolvere monachos ab excommunicationibus incurtis, quæ in jure reperiuntur statuta, *Clement. 1. de privileg.* quia etsi Episcopus, ubi Pontifex non reservat

sibi absolutionem, possit absolvere, quia absolutio illi censetur permitti, *cap. nuper 29. hoc tit.* non tamen æquè hoc procedit in inferiori Prælate, ut est Abbas; & sic ipse monachos proprios non potest absolvere ab excommunicatione in jure statuta, ut in præsentitextu violentæ manus injectæ à monacho in monachum; quia plerumque contingit, ut monachi suggerente humani generis adversario se invicem percussant: quare illis prohibitum est deferre cultellos acutos. Arnulphus Episcopus Lexov. *epist. ad Alex. & Papam. ibi: Ac nisi de cultellis eorum pugionem provida sustulisset antiquitas, sapius usque ad alternas etiam mortes intemperantia desavisset.* Et ne ita facile daretur monachis materia vagandi, ut rescriptis Bonifacius

Bonifacius VIII. *in cap. 21. hoc tit. in 6.* ideo conceditur Abbati, ut possit in præfenti casu beneficium absolutionis monachis impendere, *cap. canonica. hoc tit. cap. quoniam, de vita & honest. cleric. docuerunt Germonius lib. 3. de sacror. immunit. cap. 9. num. 26. Suarez de censur. disput. 22. sect. 1. Tamburin. de iure Abbat. tom. 2. disput. 14. quest. 10. Gibalinus ubi supra* Itaque religiosus percussus religiosum ejusdem ordinis, potest absolvi à Priore, Guardiano, Præposito, seu ejus Prælato; dum tamen percussio gravis, & enormis non sit, *cap. canonica, hoc tit. ubi restringitur generaliter præ-*

sentus. Si verò Religiosus percusserit religiosum alterius Ordinis, poterit absolvi à proprio Prælato, sed præfente Prælato religiosi offensæ; atque ita utriusque Prælati consensu imponi debet condigna satisfactio, *cap. cum illorum, hoc tit.* Religiosus verò, qui clericum sæcularem percussit, non à suo Prælato præfente Episcopo, sed ab Episcopo tantum, si percussio levis fuerit, absolvi debet, *dict. cap. cum illorum. cap. religiosi, eod. tit. lib. 6. quos, & alios, casus prosequuntur Fragolo dicto lib. 1. disput. 2. §. 3. Diana dict. tract. 4. resol. 49. cum quatuor sequent. Tamburin. dicta. disp. 54.*

CAPVT III.

Idem.

SI verò aliquis alicujus potestatis ostiarius sub prætextu officii sui malignatus clericum læserit, ab Episcopo suo potest absolvi, nisi fortè eundem clericum vulneravit graviter, Officialis verò pro injectione manuum in clericum non potest sine mandato Romani Pontificis absolutionis beneficium promereri, quia nulli laico super clericum tanta datur auctoritas, nisi fortè turbam arcendo irruentem, non ex deliberatione, sed fortuito casu clericum lædat. Si verò clericum vim sibi inferentem vi repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Apostolicam Sedem transmitti, si in continenti vim vi repellat, cum vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittant, Nec ille compellendus est ad Apostolicam Sedem venire, qui in clericum cum uxore, matre, vel sorore, vel filia sua propria turpiter inventum manus injecerit violentas. Cæterum si in stupro, vel adulterio, quando ea, cum qua stuprum, vel adulterium committitur, ipsum ita proximam consanguinitatis lineam non contingit, ceperit, aut in eum violentas manus injecit, non à sententia illius excommunicationis erit immunis.

NOTÆ.

Idem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* & post Concil. Lateran. *part. 14. cap. 9.* & etiam textus hic spectat ad eandem Decretalem.

Idem.] Et ita Principum janitores, ostiarii, & cæteri officiales, si arcendo turbam clericum leviter percusserint, possunt à proprio Episcopo absolvi; si autem sibi arrogando jurisdictionem, quasi id sibi permissum fuerit, non possunt ab Episcopo absolvi, ut probant Suarez *dicta disput. 22. sect. 1. Castropalao tom. 6. disput. 3. puncto. 23. §. 4. Diana dict. tract. 4. part. 9. resol. 55.*

2 Repellat.] Quia cum ille, qui se defendit, nullam culpam admittat, ut probavi in *cap. 2. de homicidio*, ideo nec præfentem canonis excommunicationem incurrit, *cap. ex tenore, hoc tit.* ex quo principio varias illationes deducunt Castropalao *dict. §. 3. Molina de justitia tract. 2. disp. 55. num. 3. Gibalinus in synop. verbo Injuria, num. 4.* & qui in continenti, & in rixa honoris defendendi causâ clericum percussit, censuram non incurrit, quia percussit per accidens ut talem, non suadente diabolo sed percussus irâ, vel honoris amore. Suarez *de censur. disput. 22. sect. 1. ex num. 33. Sayrus in clavi Regia, lib. 3. cap. 27. num. 20. Balleus verbo Excommunicatione 2. §. unico, Barbosa in cap. si quis suadente, num. 56.*

3 Uxore.] Quia gravis dolor injuriæ acceptæ eum excusat, argumento legis *Græchus. Cod. ad leg. Jul. de adult. junctis traditis in cap. 1. de his qua vi*

quare desideratur, ut maritus excusetur ab hac censura, quod in ipso actu turpi clericum apprehendat, ut constat ex hoc textu, *ibi, turpiter inventum.* Vnde dubitari solet, an maritus, qui non casu, sed datâ operâ, & deliberato animo expectavit clericum adulterum, ut vindictam sumeret, excusetur ab hac excommunicatione; Et illum non excusari, etiam si turpiter cum uxore apprehendat, quia hoc non est illum invenire, sed expectare, docuerunt Layman *lib. 1. summa, tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 8. Catharius decisi. Mediolan. decisi. 3. num. 5. Emanuel Rodriguez in summa, tom. 1. cap. 144. num. 18.* Sed contrarium tenuerunt plures, quos refert & sequitur Barbosa *in præfenti, num. 7.* & aliis relatis Hieronymus Garcia *in summa, tract. 1. difficult. 3. dub. 1. puncto 4. num. 75. Fragolo dict. 2. part. de regim. lib. 1. disput. 2. §. 1. num. 35. Diana part. 9. tract. resol. 2. Gibalinus ubi supra.* In qua opinionum varietate distinguendum credo, an ex dolo viri, aut uxoris clericus adulter vocatus fuerit, aut detentus, ut ita vindictam sumere possint; nam eo casu, cum non possit dici clericus inventus, sed evocatus, & dolosè attractus, excusari non potest ab excommunicatione; si verò absque dolo, licet proditoriè, fuerit percussus, immunis est ab hac censura. Prosequuntur Belleterus *part. 1. disquisit. cleric. pag. 181. Castropalao dict. disput. 3. puncto. 13. §. 3.* & textum hunc protrahendum esse ad percipientem clericum repertum cum sponsa de præfenti, non verò de futuro, docuerunt Molina *de justitia tract. 3. disput. 55. num. 5. Diana part. 4. tract. 4. resol. 32.*

CAPUT

CAPUT IV.

a Idem.

SI verò aliquis in clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico presentari conspectui, nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse clericum non noverit: vel si hoc dubium fuerit, propria manu dumtaxat præstabit juramentum, quod eum esse clericum ignorasset. Ab illo autem (si præstare noluerit juramentum) quia violentas manus constat eum in clericum injecisse, sicut ab excommunicato, donec de mandato Summi Pontificis absolvatur, convenit abstineri.

NOTÆ.

- I. a **I**dem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* & post Concilium Lateran. *part. 14. cap. 1.* legitur *Batoniensis*. Unde rectè deducit Antonius Augustinus in *notis ad hunc textum*, in præsentem referri partem textus in *cap. de illis, de despons. impub.* ubi de Batonienſi diœcesi egi, & in *cap. 1. de tempor. ordin.*

cessat injuria facta ordini clericali, nec committitur formaliter sacrilegium; ideo excusantur ab hac excommunicatione, Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 41.* Gibalinus *diçt. verbo Injuria, in synopsi*. Unde cum nutrire comam clerici non sit, *cap. si quis ex clericis, de vita & honest. cleric.* ideo qui clericum nutrientem comam percussit, non incidit in hanc excommunicationem, quia justam causam habuit credendi, eum clericum non esse, cum sine habitu clericali incesisset. Facit Concil. Tribur. *can. 26. ibi: Ut presbyteri non vadant nisi solâ, vel orario induti: & si in itinere spoliantur, vel vulnerantur, aut occiduntur non solâ vestiti, simpliciter emendatione sua solvantur.* Anguianus *lib. 4. de legibus, cap. 4.* De clerico deserente habitum clericalem egi iam in *cap. 1. de apostatis*.

COMMENTARIUM.

2. **L**icet ignorantia hujus excommunicationis non excuset percipientem clericum ab ejus incurſu, ut novissimè probat Araujo in *99 moral. 3. part. quæst. 31. per totam*; tamen si qui percipiunt, probabiliter ignorant, quem percipiunt, clericum esse,

CAPUT V.

a Idem Abbatibus, prioribus, & aliis ecclesiasticis viris per Eboracensem Episcopatum constitutis.

Non dubium est vobis, sicut credimus, vel incertum, quin ii, qui violentas manus in clericos, canonicos, aut cujuslibet religionis conversos injiciunt, ex institutione Concilii sententiam excommunicationis incurrant, nec nisi in articulo mortis sine Rom. Pont. absolutionis possunt beneficium impetrare.

NOTÆ.

- a **I**dem.] In hac sexta collectione tantum legitur *Idem*, sed inscriptio supplenda est ex prima collectione, ubi *sub hoc tit. cap. 6.* reperitur textus hic.
- I. b **R**eligionis conversos.] Consonat textus in *cap. 1. hoc tit. in 1. collect.* ubi Alexander III, ita scribit: *Si forte post conversionem suam in aliquem de fratribus suis aliquis violenter manus injecerit, licitum sit tibi eos ab excommunicationis sententia absolvere.* Et in *cap. 13.* ejusdem collectionis, ibi: *Graviter oculos divina Majestatis offendunt, qui religiosos viros fatigant molestiis, & etiam sua perturbant quietis. Sanè à sancte memoria prædecessore nostro Papa A. in Concilio Lateranensi constitutum est, ut qui violentas manus in clericos, vel monachos, hospitalarios, vel templarios, seu in viros alterius religionis immittunt, excommunicationi subjaceant. Nos autem statutum prædecessoris nostri ratum, & firmiter tenere volentes, f. v. m. quatenus si qui parochianorum vestrorum in fratres Hospitalis Hierosolymitani manus violentas iniecerint, eos appellatione remota publice excommunicatos denunciatis, & ab omnibus*

faciatis cavendis vitari, donec prædictis fratribus de illata injuria congruè satisfaciant, & cum literis Episcoporum suorum rei veritatem continentibus Apostolico conspectui se representent. Gaudent ergo hoc privilegio canonis, primò clenci, non solum sacris ordinibus initiati, verum etiam qui minores, immò & qui primam tantum tonsuram habent, quia illi clerici dicuntur, *cap. clericus 21. disp. 2. cum contingat. de etate & qualitate*. Et quavis ut gaudeat privilegio fori noviter post Concil. Trident. *sess. 23. de reform. cap. 6.* desideretur, ut deferant habitum clericalem, & simul deserant alicui Ecclesiæ; tamen ut gaudeant privilegio canonis tantum desideratur, ut deferant habitum clericalem, ex veriori sententia, quam defendunt Molina *de justitia tract. 3. disp. 54. num. 9.* Avila *de censur. 2. par. cap. 1. disp. 2. dub. 9.* Barbola *de potest. Episc. part. 2. aliq. 12. n. 32.* & *lib. 1. juris eccles. cap. 39. §. 1. Diana p. 3. tract. 5. resol. 82.* Hieronymus Garcia *in summa. tract. 1. difficult. 3. dub. 1. punct. 1.* Gibalinus *in synopsi, ubi supra*. Nec interest, quod tales clerici sint excommunicati, suspensi, irregulares, seu verbaliter depositi, immò etsi decesserint, adhuc cadaver gaudet hoc privilegio. Item clerici conjugati cum

cum unica, & virgine, habitum deferentes gaudent hoc privilegio, ut probat Diana p. 9. tract. 4. resol. 6. per tot. Si verò clerici deposito habitu, enormitatibus dentur, non gaudent hoc privilegio, cap. perpendimus, cap. cum non ab homine, hoc tit. Quod ad assassinos protrahunt Covarr. lib. 2. variar. cap. 20. num. 10. Item joculariores, & goliardi, de quibus in cap. unic. de vita & honest. lib. 6. Item carnifices, & tabernarii ter moniti, si non desistunt, privantur hoc privilegio canonis, Clement. unica, eod. tit. de vita & honest. cleric. Item incorrigibiles realiter degradati hoc privilegio spoliantur, cap. cum non ab homine, de judic.

2. Secundo hoc privilegio gaudent omnes religiosi utriusque sexus conversi, etsi aliqui non emittant professionem; immò & novitii, cap. religiosi, hoc titulo in 6. an quia appellatione clericorum veniant, an verò ratione privilegii, disputant Hallerius lib. 4. in vindictis, cap. 1. §. 2. Celotius contra ipsum de hierarch. Hoc quoque pri-

viligio gaudent fratres tertii ordinis sancti Francisci in communi viventes, & habitum gestantes, si verò in domibus propriis habitent, etsi habitum deferant, & se, ac sua religioni tradant, non gaudent hoc privilegio. Rodriguez tom. 2. qq. regul. quest. 65. art. 5. Gibalinus in synopsi, dict. verbo Injuria. Similiter Eremitæ sub certa regula degentes, ac proprium Prælaturum agnoscetes, gaudent hoc privilegio. Circa Equites militares, & eorum commendatarios dubitant Molina dict. disp. 50. Sanchez lib. 1. summa, cap. 16. num. 11. Azor part. 1. instit. lib. 13. cap. 4. quest. 4. Sed hujus dubii resolutio pendet ex alia questione, an videlicet illi sint veri religiosi? Quam examinant plures, quos retuli in cap. 5. de statu monach. Et ita dicendum est, Equites sancti Joannis, quia emittunt tria vota substantialia, gaudere hoc privilegio canonis, cæteros verò Equites in communi non degentes, non gaudere hac immunitate, etsi contrarium teneat Diana dict. tract. 4. resol. 7. per tot.

CAPUT VI.

a Idem.

Mulieres, vel aliæ personæ, quæ sui juris non sunt, ab Episcopo diœc. absolvi possunt, si manus in clericum injecerint violentas. De his verò, qui magnæ non sunt potentæ, & ita delicati, quod laborem veniendi ad Sed. Ap. nequeunt sustinere, respondemus, quod status personæ prius, & veritas negotij est intima Rom. Pont. & secundum consilium ejus tales erunt de commisso scelere corrigendi. Illi verò qui non per se ipsos, sed eorum auctoritate, vel mandato violenter injiciunt manus in clericos, ad Sedem Apost. sunt mittendi; cum is committat verè, cujus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur.

NOTÆ.

a Idem B.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 7. post Concilium autem Lateran. p. 14. cap. 12. legitur Baroniensi, sed retineo præsentem inscriptionem, & verius credo in præsentem referri partem textus in cap. 1. hoc tit.

b Mulieres.] Consonant textus in cap. quamvis, cap. ea noscitur, hoc tit. Nam cum in mulieribus periculosum sit vagari, & virorum cœtibus se immiscere, l. 1. C. Justin. de offic. divers. judic. novella 124. cap. 1. (cujus constitutionis anam tradit Baronius anno 316. num. 71.) ut probant Chassaneus in catal. p. 2. consider. 30. Osualdus lib. 24. cap. 22. litera G. Revardus 4. var. 15. ideo

non sunt cogendæ Romanum Pontificem adire, & ita generali consuetudine receptum est, ut etiam ob gravem percussione[m] possint ab Episcopo absolvi, ut testatur, & probat Diana dict. cap. 9. tract. 4. resol. 59. per tot.

c Illi verò.] Etiam hanc constitutionem ad consulentes, & qui auxilium, vel favorem percussione[m] clericorum præstiterint, immò & ad ratam percussione[m] habentes, extendunt Doctores ex textu in cap. quanta 47. cap. cum quis, hoc tit. Diana d. tract. 4. resol. 14. Suarez disput. 22. de censur. sect. 1. num. 55. Hieronymus Garcia dict. difficult. 30. punct. 3. qui varios casus resolvunt circa mandantes similem percussione[m].

CAPUT VII.

a Idem.

Porrò si aliqui violentas manus in fratres suos injiciunt, & ducti penitentiâ, non convicti, sed privati à te veniam postulant, eos monere debes, & inducere, ut his, quos læserunt, congruè satisfaciant, & Apostolico se conspectui repræsentent, cum à te, vel alio sine speciali mandato Rom. Pont. absolvi non possunt.

NOTÆ.

- I. ^a **I**dem.] Ita etiam legitur in prima collectione sub hoc tit. cap. 9. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Alex. sed credo etiam spectare textum hunc ad ipsius Pontificis Decretalem

relatam in cap. 1. hoc tit. Illud tantum in presenti deciditur, excommunicationem canonis *Si quis suadente*, etiam incurri ex percussione occulta, & absolutionem ipsius excommunicationis Romano Pontifici reservari, licet hodie, ut vitetur talis percussor clerici, debeat esse notorius post extravagantem *Ad evitanda*.

CAPVT VIII.

^a Idem.

Nullibi se possunt privilegio Ap. Sed. tueri, quominus ^b excommunicatos vitare debeant, & pro violenta manuum iniectione in clericos, sicut excommunicati vitari.

NOTÆ.

- I. ^a **I**dem.] Ita etiam legitur in cap. 10. hoc tit. in 1. collect. ubi additur *pars capituli Significasti*: sed ut notavit Antonius Augustinus, non reperitur integra epistola in aliquo capite *Significasti*: quare credebam legendum esse, *pars capituli Significasti*; & ita textum hunc spectare ad Decreta-

lem Alex. III. relatam in d. cap. 1. & sequent.

^b *Excommunicatos vitari*.] Non quia Pontifex tale privilegium communicandi impunè cum excommunicatis concedere nequeat, quia cum hæc prohibitio sit jûris positivi, ut dicemus infra in cap. *Significasti*, rectè potest privilegio tolli, ut probat Balboa in cap. 2. de except. Avendanno de metu lib. 2. cap. 31. num. 28.

CAPVT IX.

^a Idem *Episcopis, & aliis Prælati per Galliam constitutis*.

Parochianos vestros, si qui in monachos, vel conversos præfati Ordinis violentas manus injecerunt, sublato appellationis remedio, secundum tenorem generalis decreti excommunicatos publicè nuntietis, ipsosque faciatis sicut excommunicatos arctius evitari, donec ^b læsis congruè satisfaciant, & cum literis vestris Apostolico se conspectui repræsentent.

NOTÆ.

- I. ^a **I**dem.] Ita etiam legitur in prima collectione sub hoc tit. cap. 14. & post Concil. Lateran. p. 14. cap. 11. nec amplius exprimitur: credo autem etiam textum hunc spectare ad Decretalem relatam in cap. 1. hoc tit.
2. ^b *Læsis*] Certum est, ad assequendam absolutionem ob crimen admissum desiderari satisfactionem parti læsæ factam, cap. 2. hoc tit. in 6. probant latè Riccinus de jure person. lib. 4. cap. ult. Gibalin. de censur. disquisit. 9. q. 4. num. 6. Gutierrez q. canon. cap. 5. num. 29. Illud in præfenti

difficile videtur, quomodo videlicet in præfenti casu ob injuriam illatam monachis, seu canonicis regularibus, ipsi conquiri possint, cum certum sit, monachos ob injuriam sibi illatam agere non posse, sed tantum monasterium, exemplo Patrisfamilias, ob injuriam filio irrogatam, l. *ff. unus, §. filiofamilias*, ff. de injuriis. Sed respondendum est, Alexandrum in præfenti dum docet læsis congruam satisfactionem esse præstandam, accipiendum esse de satisfactione præstanda monachis, mediante ipso monasterio, vel ejus syndico ut docuit Balboa in cap. *causam* 9. num. 10. de judiciis.

CAPVT X.

Idem ^a *Ianuesi Episcopo*.

EX tenore literarum tuarum nobis innotuit, quod B. Canonicus sanctæ Mariæ de vineis, in quendam subdiaconum manus injecit violentas, &c. *Et infra*: Mandamus itaque f. t. quat. recepto ab eo Canonico juramento, quod tuo debeat mandato parere, ipsum vice nostrâ a sententia, quâ tenetur, absolvas, sibi que in virtute juramenti præcipias, quod de cætero in clericum, monachum, hospitalarium, vel aliqujus Religionis conversum manus non injiciat violentas, nisi se ^c defendendo, aut de mandato fecerit suorum Prælatorum, vel nisi super eum prælationis ministerium, aut ^d magisterium habeat, aut cum ipso socius fuerit in eadem Ecclesia.

NOTÆ.

NOTÆ.

- I. ^a **I** *Anuens.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 15.* de Januensi, seu Genuensi Ecclesia *egi in cap. per vestras, de donat. inter.*
2. ^b *Sanctæ Mariæ de Vineis.*) Monasterium sanctæ Mariæ in Vineis olim erat canonicorum regula-

rium in ipsa diœcesi Januensi membrum Congregationis Mortariensis, etsi postea Ecclesia canonicorum regularium effectum sit, ut refert Pen-norus *lib. 2. canonic. regul. cap. 27. num. 2.*

^c *Defendendo.*] Juxta tradita supra *in cap. si verò 3.*

^d *Magisterium.*) Et ita intuitu disciplinæ, juxta tradita supra *in cap. 1.*

CAPUT XI.

Idem^a Cœnomanensi Episcopo.

DE cætero noveris, quod laicus pro violenta manuum injectione in clericum vinculo excommunicationis astrictus, si habeat capitales inimicitias, vel alias justas excusationes, quibus abstinere rationabiliter excusetur, ita quod sine periculo Apostolico se nequeat conspectui præsentare, licet diœcesano Episcopo, recepto juramento, secundum morem Ecclesiæ absolutionis gratiam impertiri; sed est illi sub juramento debito injungendum, ut quamcitiùs habuerit opportunitatem Romanum Pontificem adeundi, adeat mandatum Apostolicum suscepturus.

NOTÆ.

- I. ^a **C** *Oenomanensi.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 16.* ubi additur *pars capituli Tuo nos;* unde cognoscitur in præfenti referri partem textus *in cap. 1. de clericis peregrin.* In hoc textu tantum refertur casus, in quo ob legitimum impedimentum potest Episcopus absol-

vere ab excommunicatione incurfa ob violentam percussione; & contingit cum ob difficultatem itineris non potest facile adiri Rom. Pont. & ita cum ob gravem necessitatem redditur difficilis accessus ad Sedem Apostolicam, posse Episcopum absolvere ab hac excommunicatione, docuerunt Barbosa *de potest. Episc. alleg. 4. num. 6.* Gibalinus *in synop. censur. verbo Injuria, num. 16.*

CAPUT XII.

Urbanus III. ^a Cœnomanensi Episcopo.

AD hæc autem, cum inter ^b parochianos tuos, vel inter eos, & alios controversia coram delegatis iudicibus agitur, sapiùs à iudicibus ipsis ut asseris, Apostolica auctoritate tibi injungitur, ut alteram partium fortè iudicio parère contemnentem, vel ob aliam causam rationabilem, ecclesiasticâ districtione percellas; illi verò, qui subjacere excommunicationi mandantur, ad alios iudices literas ab Apostolica Sede impetraverunt, à quibus nihilominus auctoritate tibi Apostolica mandatur, ut eos, qui de mandato iudicum priorum excommunicati fuerant, habeas absolutos. Super quo tua discretio dubitat, quid tibi in diversitate hujusmodi sit agendum. Ad quod breviter respondemus, quod si literæ ad secundos iudices impetratæ tacitâ veritate obtentæ non fuerint, eos ad mandatum eorum absolutos habere debes, præcipuè cum Romana ecclesia absolutionem sententiæ delegatorum iudicum nequaquam consueverit aliis delegare, nisi in literis commissionis expresso de sufficienti cautione præstanda ab iis, qui absolvi debent, quod iudicio Ecclesiæ debent obedire.

NOTÆ.

- I. ^a **C** *Oenomanensi.*) *Senonensi* legitur in hac sexta collectione, sed inscriptionem, & litteram restituo ex prima collectione, ubi *sub titul. de rescriptis. cap. 8.* ita habetur, & ex Concilio Lateran. *part. 6. cap. 21.* ubi habetur, *M. Cœnomanensi Episcopo;* & additur *pars capituli Cum Apo-*

stolica, ut cognoscatur, in præfenti referri partem textus *in cap. cum Apostolica, de sponsalib.*

^b *Parochianos.*) Plerumque enim diœcesani appellantur parochiani, & diœcesis parochia, ut probavi *in cap. 2. de pecul. cleric.*

^c *Tacita veritate.*) Quo casu rescriptum ipso jure nullum est, juxta tradita *in cap. super 20. de rescriptis.*

CAPUT XIII.

Clemens III.

EA noscitur, &c. Quod utique fraternitas tua diligenter attendens, certificari humiliter postulavit de eis, qui violentas manus in clericos aliqua temeritate injiciunt, nec eis suppetunt facultates, ut ad sedem Apostolicam valeant laborare: quomodo his scilicet possit salubriter provideri? Super quo taliter tibi duximus respondendum, ut mulieres, quas sexus fragilitas non permittit ad sedem venire Apostolicam Sedem non venerint, ab Episcopis valeant salutis remedium accipere, & eorum officio fidelium communioni restitui, satisfacto juxta facultates iis, quibus per eos constiterit injurias irrogatas. Alios autem, sive pauperes, sive divites, Sedi Ap. vel Legato, ut beneficium absolutionis obtineant, necesse est presentari. Si vero hujusmodi infirmitatis tempore timore mortis beneficium fuerit absolutionis indultum, per juramentum eis injungatur, ut postquam fuerint sanitati restituti, ad Romanam Ecclesiam, vel ejus Legatum accedant, mandatum super talibus recepturi.

NOTÆ.

- I. ^a Clemens III. Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. i. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex.
 2. ^b Mulieres.] De quibus egi supra in c. mulieres.
^c Senes.] Qui autem dicantur senes quoad

hanc absolutionem promerendam, exponunt Barbosa de potest. Episcopi alleg. 41. num. 27. Diana d. tract. 4. p. 9. resol. 60.

^d Valetudinaris.] Id est quacunque corporis impotentia impediti, etiam si non imminet periculum mortis: & in hac parte standum est iudicio medicorum, ut resolvit Barb. d. alleg. 41. num. 25.

CAPUT XIV.

Idem.

CUM non ab homine. Et infra: A nobis itaque fuit ex parte tua quaesitum, an tenearis a communione illius abstinere, qui pro temeraria manuum injectione, in sententiam incidit, antequam excommunicatus publice nuntietur; & an incidant in canonem lata sententia interfectores clericorum, aut Presbyterorum illorum, qui abjecto suscepti ordinis ministerio, in publicis bellis, vel etiam praeter bella se homicidiis polluere non verentur, cum in commestationibus & ebrietatibus, atque rapinis, & aliis enormitatibus aequae sunt, ut laici, vel deterius debachantes. In secunda igitur consultatione taliter respondemus, quod a communione ejus, qui pro sacrilegamanuum injectione in clericum antedictum in excommunicationem incidit, licet denunciatus non sit, ab hoc debeas abstinere, nisi forte id tibi soli pateret, in quo casu ipsum private tantummodo evitabis, quamdiu ab Ecclesia toleratur; ut saltem verecundiae rubore suffusus, prolatenti excessu taliter satisfacere compellatur. In articulo vero quaestionis tertiae tale praebemus responsum, ut occisores clericorum, vel Presbyterorum, qui ut dictum est, contempto clericali habitu, tyrannidi & enormitati se invereconde commiscant, in odium clericalis excessus, & in terrorem, atque correctionem similium canone lata sententia laici minimè coërceantur, injungatur tamen eis poenitentia competens aliquantulum asperior, quam si omninò in laicos talia commississent. Praeterea, quia nemo desperandus est, dum fuerit in mortali corpore constitutus, cum id, quod differtur, aliquando consilio postmodum maturiore perficiatur; ad ultimum quoque, quod consuluisti nos, si de jure communi tibi liceat, ac suffraganeis tuis illos, qui pro temeraria manuum injectione excommunicationis sententia percelluntur, absolvere; huic manifestius respondemus, quod observata exceptione quorundam quae in decretalibus c. Alexandri III. continetur, hoc nemini liceat, nisi Apost. Sed. gaudeat privilegio speciali. Verumtamen volentes illis, qui in tam remotis partibus tuae provinciae commorantur, dispensatione providere paterna: f. t. p. literis indulgemus, ut illos, qui taliter excommunicati sunt, ipso jure, si corporum impotentia, aut paupertas eos impediatur, aut aliqua inevitabilis, & manifesta necessitas, dummodo satisfaciant iis, quos offenderint, & aliquam agant poenitentiam, ad correctionem sui, ceterorumque terrorem, a sententia excommunicationis, auctoritate Apost. fretus absolvas: si tamen ex persecutione hujusmodi laesio corporalis enormis, aut mors non fuerit subsequuta; nimirum in his omnibus, si quis Sanctorum Patrum statuta

statuta diligenter perferretur, nihil novum nos respondisse reperiet, sed quod antiquum est, quasi quadam manu sollicitudinis innovasse.

NOTÆ.

debilitas, de qua superiori textu, ob infirmitatem, vel ob ætatem.

e *Paupertas.*) Pauperes enim possunt absolvi ab Episcopo, *cap. quod de his, cap. quamvis, hoc tit.* non solum mendicantes, verum & non habentes congruam sustentationem, qui tamen attento statu personæ indigere videantur. Barbosa *de potest. Episc. alleg. 41. n. 24.* Et qui dicantur pauperes quoad hoc beneficium absolutionis, arbitrio Episcopi relinquunt, cum aliis resolvit Barbosa *ibi.*

1. a *Idem.*) Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* sed veram inscriptionem hujus textus dedi *in cap. cum non ab homine, de judic.*
 b *Bellis.*) Contra tradita supra *in cap. peritio, de homicid.*
 c *Alex. III.*) Relatus *in c. 1. 2. & seqq. hoc titulo.*
 d *Corporum impotentia.*) Veluti si est nimia

CAPUT XV.

^a Idem

Cum desideres, quid tua fraternitas observare debeat super iis, quæ dubietatem continent, Apostolicæ Sedis rescripto plenius edoceri; nos qui licet immeriti ex accepto administrationis officio consultationibus respondere cogimur singulorum, &c. *Et infra:* Fuit autem primæ quæstionis tenor hujusmodi, utrum alicui excommunicato, qui mandato Ecclesiæ stare juravit, & ante absolutionem Episcopus ei communionem reddidit, sit communicandum ab aliis; & an Episcopus id facere debeat. Cui siquidem quæstioni taliter duximus respondendum, quod cum cautio juratoria, quam hodie qui excommunicati sunt, præstant, potius ad cautelam ex consuetudine Ecclesiæ, quam ex rigore canonum sit inducta, neque momenti tam validi reputetur, ut nisi absolutionis beneficium subsequatur, ille, qui excommunicatur, debeat communioni aliorum restitui, præsertim cum ex eo juramento absolutionem consecutus non sit, & constet eum excommunicatum fuisse, & verum sit, absolutum non esse; non potest ^b Episcopus, nec debet ei communionem dare; neque alij eidem ^c communicare, nisi fuerit secundum formam ecclesiasticam post juramentum præstitum absolutus; quia secundum ^d Apostolorum canones, & ^e Fabiani statuta Pontificis, qui cum excommunicato scienter communicaverit, est communionem privandus; immò juxta ^f Isidori statuta, cum eo excommunicationis contrahit pœnam. Secundæ quæstioni statuta canonum, & præcipue piæ memoriæ Alex. III. prædecessoris nostri sequentes, hunc finem duximus imponendum, quod si publica fama est, aliquem verberasse clericum, neque Episcopus, neque alii ei communicare debent, nisi ad arbitrium Episcopi de hoc se purgaverit, vel ad majorem ^g cautelam beneficium absolutionis acceperit. Tertio loco tua discretio requisivit, si clericus verberatus ab aliquo querimoniam apud suum Episcopum deposuerit, & testes producere paratus fuerit, sed Episcopo mediante, & communicante ei, qui clericum verberavit, amicabiliter cum eo composuerit, & reconciliatus ei fuerit, an ei communicandum sit ab aliis? Super quo taliter respondemus, quod licet ille qui violentas manus injecerit, ei, quem laesit, satisfecisse videatur, Ecclesiæ tamen quam offendit, ex hoc non satisfecisse dignoscitur, & nisi forma ecclesiastica, quæ pro absolutione talium, ut supra dictum est, introducta est, observetur, non est ei communicandum. Ultima præterea quæstionis omnes perplexiones resolvimus, quod cum in pari stilo criminis conquadretur, qui clericum ^h captivum retinet, licet violentas manus in ipsum non injecerit; ut is, qui violentas manus injecerit, est evitandus, nec est communioni fraternæ reducendus, nisi juxta formam Ecclesiæ fuerit, ut supra dictum est, absolutus.

NOTÆ.

^a *Idem.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* nullibi tamen exprimitur cui rescribat Clemens III.

b *Communicare.*] Juxta tradenda *infra in cap. significavit.*

- I. c *Potest Episcopus.*] Immo nec ipse Romanus Pontifex potest cum excommunicatis communicare; & si sine justa causa etiam in humanis communicaverit, gravem culpam incurrit, ut docuerunt Glossa verbo *Vitare, in cap. nulli 8. hoc tit.*
 DD. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.*

Covarr. *in cap. alma, p. 1. §. 1. num. 2.* Suarez *de censur. disput. 2. sect. 1. num. 11. & disput. 6. sect. 4. num. 5.* Sayrus *in clavi Regia lib. 2. cap. 11. num. 28.* Henriquez *in summa. lib. 13. cap. 3. num. 4.* Albertus Pigijs *lib. 4. de Eccles. hierarch. cap. 8.* Barb. *in cap. 1. n. 2. 93. dist. Marius Alterius de censur lib. 1. dist. 11 cap. 4.* Theoph. *tom. 14. de liter. monit lib. 2. cap. 2.* quia licet præceptum hoc vitandi excommunicatos non sit juris divini, ut *ex cap. 16. & 18. Matthai, juncto c. sicut 16. c. excommunicatos 17. 11. q. 3.* nonnulli voluerunt relata Gibalino *de censur. disquisit. 3. q. 1. consel. 2.* & tantum sit juris

positivi,

positivi, cap. nemo 31. 11. quest. 3. ideoque nec in pœnam minoris excommunicationis Pontifex incidat, utpote humanis legibus solutus, ex regula legis digna vox, Cod. de legibus, cap. significasti 4. cap. innotuit, de elect. cap. proposuisti, de concess. præb. tamen offendit eas leges, quarum iusto dictamine, & vi directiva alligatur, l. digna 4. C. de legibus, cap. iustum 2. 9. dist. cap. cum omnes 6. de constit. facit rationis, & honestatis præscriptum in summo Pontifice vitandi excommunicatos, ex Concilio Africano sub Cœlestino, & Bonifacio, can. 105. qui est in Codice canonum Ecclesiæ Afric. can. 138. ubi sic Africani PP. ad Cœlestinum: *Nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis accipere, quia hoc etiam in Nicæno Concilio definitum facile advertit Venerabilitas tua. Quæ tamen ne laberetur, admonitio supplicis fuit, non præceptiva, ut observarunt Baronius rom. 4. anno 419. Bellarmin. lib. 2. de Rom. Pontifice, cap. 25. vers. Adde 4. Alanus Copius dialog. 1. cap. 10. Faciunt tandem textus in cap. cum olim 13. vers. Illud, ibi: Quod cum in fili Abbas, de privil. cap. nulli 8. cap. si aliquando 41. hoc tit. cap. 1. in fine, de except. lib. 6. Illustrat Præceptor meus D. Franc. Romanos pro Episc. Lusit. propos. 3. §. 2. num. 106.*

d Apostolorum.] In can. 11. Apost.

e Fabiani.] In cap. sicut Apostoli, quest. 3.

f Isidori.] In cap. cum excommunicato 11. quest. 3.

2. g Cautelam.] Absolutio hæc ad cautelam impenditur quoties dubitatur, an censura incurta sit, necne, & ita datur sub conditione, si valida sit

censura, aut incurta fuit. Ejus mentio fit in cap. ad presentiam, de appellat. cap. veniens, cl. 2. de testibus, cap. Apostolica, de except. cap. perinas, cap. venerabili, hoc tit. cap. presentis, cap. venerabilibus, hoc tit. in 6. de qua, & ejus effectu plura de censuris scibentes, & noviter Gibalinus de censur. disquisit. 9. q. 2. num. 6.

h Captivum retinet.] In qua retentione cum ipsa percussione grave sacrilegium perpetratur, cap. attendendum 13. in fine, cap. si quis deinceps 22. 17. q. 4. cap. constituimus 9. 3. q. 5. cap. nulli 11. 3. q. 4. cap. ita nos 25. 25. q. 2. cap. venerabilem 34. vers. numquid, de elect. cap. ad Apostolica 2. de re judic. lib. 6. Clement. 1. de pœnis: facit textus in l. si quis in hoc genus, C. de Episcop. & clericis. Punitur enim dicto canone si quis suadente 17. q. 4. quælibet violenta manuum injectio in clericum, si ve illa sit in personam ejus, si ve in ejus res ipsi adherentes, unde fiat injuriola illa ipsi personæ violentia; ejusque violatio hujusmodi est occisio, mutilatio, vulneratio, percussio, quacumque ratiōe, aut instrumento fiat, exempli causâ manu, pede, ense, fuste, loris, immò etiam veneno occultè propinato; quia illis omnibus modis illius personæ, ac corpori violentia infertur. Etiam violenta injectio manuum est detentio, ne ex aliquo loco exeat, aut ad illum nemo accedat, ut docent alios casus injuriolæ injectionis manuum adducentes Gibalinus in d. synop. censur. verbo injuriam, Diana p. 9. tract. 4. resol. 19. 17. 30. 36. 37. Hieronymus Garcia in summa, tract. 1. difficult. 3. dub. 1. puncto 2. & 3. Suarez de censur. disput. 22. sect. 1. Fragofo 2. p. de regim. lib. 1. disput. 2. cum sequent.

CAPUT XVI.

a Clemens III.

Veniens ad Sed. Ap. I. lator presentium suâ nobis assertione monstravit, quod cum^b matutina officia celebraret, quædam^c monialis Ecclesiam ingrediens cum alio clerico, ludendo impedimentum præstabat quominus Deo divinum posset obsequium exhibere. Unde memoratus sacerdos commotus, ut liberius posset circa divinorum celebrationem vacare, manibus in eam appositis, ut extra Ecclesiam^d poneret, cum nollet exire, in trahendo ipsam coëgit eandem extra Ecclesiam residere: sed tum illum propter hoc tanquam excommunicatum evitasti, & facis ab aliis evitari. Ideoque mandamus, quatenus si res ita se habet, eum de cætero non evites: cum ex hoc ipsum excommunicatum nullatenus videamus.

NOTÆ.

1. a Clemens III.] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 5. etsi nullibi exprimitur cui rescribat Pontifex.

b Matutina officia.] De quibus egi in cap. 1. de celeb. Missarum.

2. c Monialis.] Quæ etiam gaudet privilegio canonis Si quis suadente, ut probavi in cap. non dubium.

d Poneret.] Quare is, cui incumbit turbantes divina officia ab Ecclesia ejicere, potest etiam per vim clericos turbantes officia divina impunè ejicere, cap. cum voluntate, §. fin. hoc tit. quia talis percussio injuriola non est. Docet Gibalinus in synop. dicto verbo Injuria, à num. 3.

CAPVT XVII.

a Clemens III.

3. **P**ervenit ad nos, &c. Illos autem, qui aegritudine prapediti pro absolutionis beneficio ad Sedem Ap. nequeunt laborare, recepto ab eis, sicut moris est, juramento, potes absolvere, ita quod sanitati pristina^b restituti Apostolico se conspectui repraesentent: sexui verò^c foemineo, ac pueris, & senibus fatis super hoc te credimus posse liberè dispensare. De iis etiam, qui clericis non enormem, sed modicam, vellem injuriam irrogarunt, tuae fraternitatis arbitrio duximus committendum.

NOTÆ.

1. ^a **Clemens III.** In secunda collectione, sub hoc tit. cap. 3. legitur tantum idem, & nullibi exprimitur, cui Prælato rescribat Pontifex, sed veram hujus textus interpretationem dedi, & illustravi in cap. pervenit, de test. cogend. huic decisioni omnino consonat Innocent. III. in epistola missa Archiepiscopo Compostellano lib. 1. epistol. apud Sirletum, fol. 370. ubi ita scribit: (Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod in diocesi tua manus injicientes in clericos violentas, cum à Sede Apostolica nimium sint remoti, propter ætatem, & infirmitatem illuc nonnunquam vix accedere valent beneficium absolutionis peritu-

ri. Ut autem excommunicatos hujusmodi ad nos non valentes propter impedimenta, quæ præmissimus, proficisci, & mulieres clericos verberantes absolvere tibi liceat in diocesi tua, fraternitati tuæ autoritate præsentium indulgemus, nisi fortè ipsorum excessus ita gravis fuerit, & enormis, quod propter hoc censura sit Apostolicæ Sedis requirenda. Nulli ergo, &c. Datum. Lateran.

^b **Restituti.** Et ita etiam absoluti cessante impedimento tenentur Romanum Pontificem adire.

^c **Foemineo, & pueris, ac senibus.** De foemine egisuprà in cap. mulieres, de senibus, & in cap. ea noscitur 13.

2.

3.

CAPUT XVIII.

a Idem III.

Significavit nobis. Et infra: Verum clericos, qui scienter, & sponte participaverunt excommunicatis à nobis, & ipsos in officiis receperunt, eadem sententiâ cum ipsis non dubitamus involvi, quos etiam pro beneficio absolutionis habendo, ad nos volumus cum insinuatione literarum tuarum transmitti.

NOTÆ.

1. ^a **Idem.** Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 7. sed nullibi exprimitur, quibus Prælati rescribat Clemens, nec integram hujus textus literam habemus, etsi sint plures decretales hujus Pontificis in hoc volumine compilatæ, cum hoc principio, *Significavit nobis.*

vis 18. quæst. 1. cap. 2. vers. *Quemadmodum, de summa Trinit.* Cujus unionis ratione fideles justii participes fiunt bonorum omnium, quæ alii justii operantur; non ita ut ex his aliorum charitas augetur, aut meritum; sed ut unius meritis alteri Deus auxilium speciale conferat. Explicant D. Augustinus de doctrina Christi, cap. 22. Magister Sentent. dist. 27. D. Thomas 2.2. q. 23. art. 5. Alaspineus lib. 1. obs. cap. 1. Germon. lib. 3. sacr. cap. 14. num. 30. Alia est communicatio politica, civilis, & externa, quæ consistit in mutua salutatione, mensa, & similibus. Alia est communicatio mixta, & per quam participes sumus sacramentorum, suffragiorum, & orationum generalium Ecclesiæ, cujus membra per baptismum efficitur. Dicitur autem mixta, quoniam actibus, & caremoniis externis constat, & ad spiritualia bona ordinatur, nempe ad accipiendam, vel conservandam gratiam: de qua communione intelligitur, quod in Symbolo fidei confitemur de communione Sanctorum nempe fidelium; quia fideles plerumque sancti appellantur, juxta illud Apostoli ad Romanos cap. 1. ibi: *Omnibus, qui Roma sunt, dilectis Dei vocatis sanctis.* Illustrat Loaylas in can. 34. Concilii Illiber. Covar. in cap. almas

COMMENTARIUM.

1. **I**n præsentis textu agitur de effectibus majoris excommunicationis qui præcipue consistunt in privatione communionis fidelium, & sacramentorum: quam ut plenius exponamus, sciendum est, communionem apud fideles multiplicem reperiri, aliam internam, quâ per charitatem fideles ut Christi membra, & per fidem Christo ut capiti ununtur; de qua psalmo 118. dicitur: *Participes ego sum omnium timentium te.* Et Ioannis cap. 4. hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit eum, diligit & patrem suum. Et Apostolus ad Romanos cap. 12. ait: *Multi unum corpus sumus in Christo.* Et ad Corinth. cap. 12. *Vos autem estis corpus Christi.* Et ad Ephesios. 4. & cap. in scriptu-

alma, part. 1. in initio, num. 2. Suarez de censur. disput. 8. sect. 1. num. 6. Marius Alterius eod. tract. tom. 1. disput. 2. cap. 3. §. Tria, Severinus Binius in notis ad can. 11. §. 12. *Apost.* Albaspinus dict. lib. 2. observ. cap. 8. §. 21. à priori quidem communiōe separat peccatum mortale, quia per illud charitas amittitur, & peccator satanæ traditur; cap. audi 21. 11. quest. 3. cap. unum orarium, §. crimina, 25. dist. & ideo peccatum mortale, quia hac communiōe privat, cap. quia natis 36. cum sequenti, de pœnit. dist. 1. etiam excommunicatio appellatur à Gratiano in dict. cap. audi, §. cum ergo. Glossa verbo *Tantum*, cap. penult. hoc tit. Gabriele in 4. dist. 18. quest. 2. art. 1. sed improprie, & non secundum usum Ecclesiæ, quia privat tantum interna illa communiōe, quæ non pender à voluntate Ecclesiæ; non autem privat communiōe ecclesiastica, d. cap. audi, §. cum ergo cap. nolite 22. cum sequentib. 11. quest. 3. in qua Ecclesia potest jus, & potestatem habere: nec peccatum mortale censura est, quia censura non habet rationem culpæ, ut tradunt Covarr. in d. cap. alma, 1. p. in initio, num. 5. Suarez de censur. disput. 8. sect. 1. Marius Alterius eod. tract. tom. 1. disput. 2. cap. 3. §. Postremo

3.
Effectus
excommu-
nicatio-
nis.

Deinde sciendum est, excommunicationem majorem non privare priori communiōe interna, quia iam christianum illa privatum supponit, d. cap. audi, vers. *Cum prædictis*, 11. q. 3; eo quod non nisi pro mortali crimine infligitur, cap. nemo, cap. nullus 11. quest. 3. separat tamen à communiōe externa, ac politica, sive spiritali, cap. excommunicatos 17. cap. cum excommunicato 18. cum duob. seqq. 11. quest. 3. cap. 2. de except. cap. is qui 18. cap. alma, hoc tit. in 6. cap. cum olim 12. de privil. D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 5. ibi: *Cum huiusmodi nec cibum sumo*. Et ad Thessalon. cap. 4. ibi: *Et ne commisceamini cum illo, ut confundatur*. D. Ioannes epist. 2. *Nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis*. Item à communiōe sacramentorum, & à communi suffragiorum Ecclesiæ participatione, cap. penult. hoc tit. Tertul. in apolog. cap. 39. ibi: *Sumuntque futuri iudicii præiudicium, & si quis ita deliquerit, ut à communiōe orationis & conventus, & omni sancti commercii relegatur*. Ubi notavit Pamelius, & in tract. de pudicitia, cap. 14. num. 110. & ad D. Cyprianum epist. 68. Adde insignem excommunicationis formulam apud Synellum epist. 38. ad finem ibi: *Andronico, ejusque sociis; Thoanti, & ejus sociis nullum Dei sanum aperiatur: omnis illis religiosa ades, ac septa claudantur: nulla diabolo in paradiso pars est, qui si clam irrepserit, expelletur. At tum privatis omnibus, & Magistratibus pacipio eodem cum illo neque lecto, neque mensa uti; tum sacerdotibus in primis, qui nec viventes, nec mortuos funebri pompa deducunt*. Est enim excommunicatio major celsurâ ecclesiasticâ, quâ separatur homo ab Ecclesiæ communiōe, & sacramentorum receptione, ut probant Covar. in cap. alma, 1. p. in initio, num. 3. Suarez d. disput. 8. sect. 2. num. 1. Vasquez tom. 2. in 3. part. tract. de excomm. cap. 1. disput. 1. Bonacina de censur. disput. 2. qu. 1. punct. 1. Gibalinus de censur. disp. 2. per illam enim separatur à corpore Christi, quod est Ecclesia, in cap. final. 3. q. cap. audi 21. 11. qu. 3. cap. 1. de cleric. excomm. & ideo cum non sit ejus membrum, non potest ejus spiritu vegetari, cap. nihil 33. 11. q. 3. de quibus communiōibus accipi debent textus in cap. omnis Christianus 32. ibi: *Ab ecclesiastica communiō-*

ne, 11. q. 3. cap. 2. de cleric. excomm. ibi: *Modis omnibus excommunicetur*. Et cap. penult. hoc tit. ubi excommunicationis nomine, non tantum minor, quæ à participatione sacramentorum; sed etiam major, quæ à communiōe fidelium separatur, intelligitur; nam cum communiō omnes supra relatas comprehendat, ut constat ex d. cap. omnis, utique negatio communiōis, quæ per verbum illud *Excommunico*, vel simile exprimitur, omnes absolute excludit, & sic non tantum minorem excommunicationem, quæ à perceptione sacramentorum; sed etiam majorem, quæ à communiōe fidelium separatur, vis verborum comprehendit; & ita usus, & consuetudo obtinuit, ex rationibus relatis à Covarr. dict. 1. p. §. 8. num. 5. Suarez d. disput. 8. num. 3. Bonacina de censur. disput. 2. qu. 1. puncto 2. Theophilus tom. 4. de literis monitoriis, lib. 1. cap. 2. & hæc communiōis privatio obumbrata fuit apud Judæos in ejectione à synagoga ejus, qui publicis peccatis detinebatur, cap. 9. Joannis ibi: *Ut si quis eum conficeretur esse Christum extra synagoram fieret*. Cyillus Alexandr. lib. 6. in Ioan. cap. 20. ibi: *Magnum apud Indæos opprobrium ducebatur, si quidem de synagoga eiecissent; sicut enim nunc homicide, vel adulteri, vel ceteris capitalibus criminibus rei ab Ecclesia pelluntur, ita tunc Confessores Christi à synagoga Indæorum eliminabantur*. Iosephus lib. 2. de bello Iudaico, cap. 7. plura Deltio in cap. 1. Threnorum, vers. 17. Deutius lib. 1. qq. Hebræicar. q. 9. Novarinus lib. 7. sched. cap. 10. Selden. tom. 2. sinedr. lib. 1. cap. 18. & lib. 4. de jure natur. cap. 8. Similiter & apud Gentiles impii, & contumaces à sacrificiis, & omnium aditu, & communiōe arcebantur, & diris, seu furis infernalibus devovebantur. Halicarnassus lib. 2. Livius lib. 6. decad. 3. ibi: *Qui vitulus acie excessisset, eum ne quis urbe, lecto, mensâ, lare reciperet, diram execrationem in populares, obrestationemque, quam sanctissimam putaverunt*. Idem lib. 10. decad. 4. Tul. lib. 1. de divin. Lucanus lib. 3. Pharsalia.

— Certè violata potestas
Invenit ista Deos Crassumq; in bella sequuta,
Sæva Tribunitiæ voverunt prælia dira.

Ovidius.

Innocenti veniant: procul o procul impius esto.
Plato lib. 9. de legibus, Plinius lib. 28. cap. 2. Cesar de bello Gallico lib. 6. ibi: *Si quis aut publicus, aut privatus eorum decreto non exiit, sacrificiis interdicitur: hæc pœna apud eos est gravissima; quibus ita est interdictum, ut numero impiorum ac celebratorum habentur, ab iis omnes decedunt, adituque sermonemq; defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: nec iis potenti bus jus redditur, nec honos ullus communicatur*. Et ita umbram quandam excommunicationis fuisse ethnicis in usu confirmant: Germonius lib. 1. de sacr. immuni. cap. 12. Duarenus lib. 1. de sacris Eccles. cap. 3. Victorellus ad lib. 1. Instit. Tol. cap. 4. Magallanus de Ioseph. vers. 17. annot. 1. Ribadeneira lib. 1. de Principe, cap. 33. Benzoni de interdicto, cap. 1. Erit a quidem, ut non puderet Philip. Malanctonem, quem refert Turrianus lib. 2. pro constit. Apost. cap. 42. & lib. 2. cap. 7. fabulari, christianam excommunicationem ex hoc Gentilium usu fuisse derivatam. Illustrant prædictam Gentilium execrationem Ambian. ad Tertul. in apolog. c. 39. obser. 2. punct. 2. §. 2. Salmatus in not. ad Capitoli. fol. 98. num. 37. Elias Schedius de Diis German. fol. 295. Avendanno de metr. lib. 2. cap. 31. Roussel. lib. 2. hist. Pontif. c. 1.

Minor

Minor verò excommunicatio privat tantum sacra communione, cap. Presbyterorum 23. 17. q. 4. hoc est à Sacramentorum participatione, seu perceptione, cap. 2. de except. cap. penult. hoc tit. cap. si celebrat, de clerico excom. unde minor excommunicatio communiter ita definitur, ut sit censura ecclesiastica, quâ baptizatus privatur passiva participatione sacramentorum, ut probat Glossa verbo non tantum, in cap. penult. hoc titulo. Covarr. in cap. alma, 1. p. in initio, num. 4. §. 9. 8. num. 1. Suarez d. disp. 8. sect. 2. Marius Alterius disput. 4. cap. 1. Vgolinus tab. 2. cap. 7. Bonacina d. disput. 2. q. 1. §. 9. 3. num. 1. Illud tamen observare oportet ex Cassiano de instit. monach. quod olim mos erat in Ecclesia, ut peccator primò privaretur osculo pacis, postea ingressu Ecclesiæ, deinde ne oraret cum aliis fidelibus, ulteriùs ne accederet ad sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, rursus perceptione aliorum sacramentorum, tandem suffragis fidelium: quod etiam patet ex cap. presenti, q. 2. cap. quisquis 21. §. si quis domum 17. q. 4. cap. nemo 41. 11. q. 3. qui textus aliàs difficiles sunt; unde ita aliqui accipiunt textum in cap. Engeltrudam 3. q. 4. dum in eo asseritur, mulierem illam non solum excommunicatione, quæ à fraterna societate separat, sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, crebrò percussam esse; ajunt enim per privationem à fraterna communione non intelligi majorem, aut minorem excommunicationem, sed illam privationem communionis fraternæ, postquam sequi anathema, id est major excommunicatio solebat. Sed veram ipsius textus interpretationem jam dedi in cap. cum non ab homine 16. de judiciis. Erant etiam olim nonnullæ excommunicationes respectivæ, seu partiales, quibus privabantur fideles ecclesiastici, seu laici communione quorundam fidelium, respectu verò aliorum nulla communione privabantur, nec usu, nec participatione sacramentorum, de quibus accipiendi sunt textus in cap. placuit 18. dist. cap. si quis 2. 58. dist. ibi: Sicut antium plebis communione contentus sit, cap. quisquis 19. 2. q. 6. Concil. Meldense can. 10. de quibus plenè disserit Morinus lib. 2. exercit. ferè per tot. in quibus casibus communionis privatio, censura ecclesiastica non erat, sed quedam pœnalis separatio, quæ non constituere diversam speciem censuræ, ut notarunt Acuna in dict. cap. placuit, Suarez de censur. disp. 24. sect. 1. à n. 2. Aliquando etiam Ecclesia unâ tantum ex prædictis communionibus privabat peccatorem, veluti sacra communione, cap. de Presbyterorum 17. q. 4. cap. de illicita 6. 24. q. 3. participatione corporis, & sanguinis Domini, cap. accedens 10. 50. dist. cap. quidam maligni 5. q. 1. communione sacerdotali, laicâ tantummodo concessâ, cap. si quis Episcopus 7. cum sequent. 50. dist. cap. final. 55. dist. de qua egi in cap. 2. de elect. aut peregrina, cap. contrumaces 21. ead. dist. cap. clerici 13. q. 2. aliquando ingressu Ecclesiæ, cap. si quis deinceps 16. q. 7. plerumque communione aliquorum fidelium, cap. 1. 34. dist. cap. placuit 6. q. 2. cap. ult. cap. final. 5. q. 4. cap. Episcopi 8. 11. q. 3. cap. final. 58. dist. cap. placuit 10. 18. dist. unde apparet, quod olim in Ecclesia privatio à qualibet ex prædictis communionibus sæpiùs imponebatur ex variis causis relatis in dictis juribus, & aliis congestis ab Antonio Augustino in epit. jur. lib. 37. per tot. quare in Decreto Gratiani nulla extat mentio majoris, vel minoris excommunicationis.

Manet ergo communis divisio (insuper habitis illis pœnis) in majorem, & minorem excommunicationem, quæ facile probatur ex cap. 2. de except. cap. penult. hoc tit. Itaque minor excommunicatio à perceptione tantum sacramentorum removel, major verò non solum à perceptione sacramentorum, verum etiam à communione fidelium, cap. penult. hoc tit. cap. 2. de except. ibi: A communione fidelium sit remotus, ubi probavit quæ privatio communionis efficit, ut nullus cum excommunicato habere possit colloquium, salutationem, convicium, osculationem, seu orationem; item ut nec ipse excommunicatus se ingerat prædictis actibus societatis humanæ, & communionis; aliàs qui cum excommunicato communicaverit, minori excommunicatione ligatur, quam pœnam imposuerunt Apostoli can. 10. aliàs 11. quem ex Græco exemplari ita vertit Gentianus Herbertus: Si quis cum excommunicato unâ precatus fuerit, segregetur. Aloander verò, & Gothofredus ita legunt: Si quis cum excommunicato licet in domo, preces conjunxerit, iste communione privetur. Dionysius verò ita: Si quis cum excommunicato saltem in domo simul oraverit, iste communione privetur. Communiter autem hic ita conceptus creditur: Si quis autem cum excommunicato, saltem in domo locutus fuerit, vel simul oraverit, iste communione privetur; ut refert Fabianus in c. sicut Apostoli 16. 11. q. 3. Idem postea cautum fuit in cap. excommunicatos, cap. cum excommunicato 18. cap. si quis laicus 26. cap. si quis frater 28. cap. final. 11. quest. 3. Concil. Nicen. can. 5. ad quem canonem Apostolorum respexerunt Patres Concil. Antioch. in can. 2. ibi: Excommunicatis communicare deprehensus fuerit, & tunc potest communione privari, tanquam Ecclesie regulas confundens. Canones namque Apostolorum etiam regulæ appellantur. Item Concil. Tribur. sub Formoso, can. 2. ibi: In canonibus Sanctorum Apostolorum, quod cum excommunicatis non sit orandum. Plura Ant. August. lib. 36. tit. 2. Cresperius in sum. verbo Excommunicatis non communicandum. Petrus Greg. lib. 4. partit. tit. 16. cap. 3. & cap. 7. Bosquetus ad Innoc. lib. 2. epist. 72. Gazetus in not. ad Cassian. lib. 2. cap. 15 late illustravi in cap. sacris, de his qua vi, & novissimè probat Illustrissimus Ramos pro Episc. Lusit. ad Alexander VII. propos. 3. §. finnum. 88. hæc autem erat minor excommunicatio, quæ olim privabat tantum à communione corporis, & sanguinis Domini, cap. qui verò 38. 11. q. 3. nunc verò removel à perceptione sacramentorum, cap. 2. de except. cap. penult. hoc tit. Quam excommunicationem communicans cum excommunicato statim incurrit, d. cap. cum excommunicato, cap. si quis frater 28. 11. q. 3. ideoque excommunicatio à jure dicitur in cap. nuper 29. §. 2. hoc tit. Et illa verba, quæ sunt in d. cap. excommunicatos, 11. q. 3. Simili excommunicationi subiacebit; & in d. cap. cum excommunicato: Cum eo communem excommunicationis contrahet pœnam; Concilium Aurel. apud Burchardum lib. 11. cap. 5. ibi: Et si quis ei sociaverit, & communicaverit operibus ejus malignis; noverit se simul percussum anathemate: intelligunt Suarez de censur. disput. 24. sect. 3. num. 2. Marius Alterius disput. 13. cap. 1. Covarr. in dicto cap. alma, 1. p. §. 3. Menardus ad Concord. regul. cap. 34. §. 1. de simili, vel communi excommunicatione in genere, non in specie, ita ut accipiantur de minori excommunicatione, quia simile non est idem, l. 1. §. sit ergo, ff. quod jussu, licet

4.
De com-
muni-
cans
cum
excom-
muni-
cans.

licet verbum *cum simili*, majorem excommunicationem importet in cap. 3. hoc tit. in 6. Aliquando tamen communicans cum excommunicato nullam excommunicationem incurrit, veluti in casibus relatis in cap. quoniam multos 103. 11. quest. 3. cap. quod in dubiis 30. cap. inter alia 31. cap. responso 43. cap. si verò, cap. cum voluntate 54. hoc tit. cap. antecessor 104. cum seqq. 11. quest. 3. & aliis in casibus, de quibus egi in cap. sacris, de his qua vi. Aliquando verò excommunicatione cum excommunicato major incurritur excommunicatio, veluti in casu deciso in presenti textu, in quo specialiter constituitur, ut communicans cum excommunicato majorem excommunicationem incurrat, concurrentibus scilicet quinque requisitis, de quibus in presenti. Primò, quod aliquis sit excommunicatus à Romano Pontifice: secundò, quod communicans cum tali excommunicato sit clericus: tertio, quod ipse communicet in officiis divinis: quarto, quod communicet sciens esse nominatim excommunicatum à R. Pontifice: quinto quod communicet spontè: quorum si aliquod deficit, non incurrit majorem, sed minorem tantum excommunicationem. Notant Suarez supra disp. 10. sect. 2. num. 4. Covarruvias dist. 8. §. 3. num. 4. & alii plures. Unde cavendum est à Glossa finali hic falsò asserente simpliciter, & generaliter, eum qui communicat cum excommunicato à Papa, majorem excommunicationem incurrit; nam ejus doctrina ita demum vera erit, si prædicta quinque requisita concurrant, & sic accipienda est lex 79. tit. 9. partit. 1. Item si communicet quis cum excommunicato in eodem crimine, pro quo fuit majori excommunicatione ipse ligatus, cap. 3. cap.

qui communicaverit 19. cap. rogo 25. 11. quest. 3. 6. Anastasius 19. dist. cap. nuper 29. cap. inter alia 31. in fine, cap. si concubina 55. de sentent. excom. cap. statuerimus, hoc tit. in 6. Covarr. dist. 8. §. 3. num. 5. Suarez de censur. disp. 17. sect. 2. num. 3. Ratio est, nam communicans cum excommunicato in eodem crimine, damnatus censetur de ipso crimine, d. cap. nuper 29. hoc titulo. Item si quis fuerit cum suis fautoribus excommunicatus, cap. excellentissimus 102. 11. quest. 3. cap. quod in dubiis 30. cap. sacris 38. hoc tit. Item in casibus relatis in cap. si quis Episcopus 6. & 7. cap. qui merito 29. 11. quest. 3. Clement. 2. hoc tit. Clement. 2. de sepult. Vgolinus dist. 8. §. 13. num. 5. Item major excommunicatio illis imponitur, qui nominatim excommunicatis præsumptuosè participant, nec communiti desistunt ab eorum participatione. Hi enim contemnunt ecclesiasticam disciplinam communioni excommunicatorum pertinaciter se ingerendo, d. cap. excellentissimus 11. quest. 3. & ita gravius delinquent, Covarruvias d. 8. §. 3. num. 7. ideoque majori excommunicatione feriuntur, cap. si quis laicus 26. 11. quest. 3. cap. quod in dubiis 30. hoc tit. cap. 2. juncta ejus integra de cleric. excom. Sed hæc excommunicatio non est lata à jure, sed à iudice ferenda, ut constat ex d. cap. si quis laicus, ibi: Absineatur; dicto cap. quod in dubiis, ibi: Innotanda, cap. si celebrat, ibi: Ferendus, de cleric. excom. & ideo ut imponatur, oportet monitionem præmittere, alias nulla erit, cap. statuerimus, cap. constitutione, cap. statuum. hoc tit. lib. 6. Alia de communicatione cum excommunicatis, & casibus, in quibus impunè cum eis communicatur, adduxi in cap. sacris, de his qua vi.

CAPUT XIX.

a Clemens III.

TUa nos duxit fraternitas consulendos, an ii soli sint ad Sed. Ap. destinandi, qui in lata sententiæ^b canonem incidentes, manus in clericos injiciunt violentas, & utrum non possint ab eadem sententiâ, nisi per Romanum Pontificem liberari. Unde fraternitati tuæ breviter respondemus, quod non solum ii, qui in clericos temerarias manus injiciunt, sed etiam^c incendiarii, ex quo sunt per ecclesiasticam sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Sed. sunt Apost. destinandi, & non nisi per Romanum Pontificem absolvendi. Hi verò, qui ecclesiastica beneficia de manibus accipere præsumunt laicorum, non consueverunt pro tali excessu ad Sed. Apost. d laborare.

NOTÆ.

1. a Clemens III.) Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 8. etsi nullibi exprimitur cui rescribat Pontifex, ut sæpius in Decretalibus hujus Pontificis contingit.
2. b Canonem.) Si quis suadente 17. quest. 4. cujus verba retuli in cap. 1. hoc tit.
3. c Incendiarii.) De pœna incendiarii egi in cap. intelleximus, de raptor. In presenti illud notandum est, ex hoc textu communiter deduci, incendiarios ipso jure excommunicationem incurrit, siquidem à Pontifice exquantur percussoribus clericorum, qui etiam ipso jure excommunicationem incurrit. Expendunt etiam pro hac sententiâ textus in cap. si quis membrum, cap. possi-

mam, 23. quest. 8. Sed verè in his juribus tantum docetur, incendiarios excommunicandos esse, non verò ipso jure esse excommunicatos: & præsens æquiparatio incendiarii, & percussoris clerici tantum procedit quoad absolutionis reservationem, post denunciationem ipsius incendiarii: quare nullum incendiarium ipso jure esse excommunicatum, sed excommunicandum, docuerunt Cajetani, in summa, verbo Excommunicatio 22. Navarr. in manuali, cap. 27. num. 94. Tolet. lib. 1. summa, cap. 36. num. 5. Suarez de censur. disp. 22. sect. 2. num. 19. Sayrus eodem tract. lib. 3. cap. 29. num. 8. Gibalinus in synopsi, verbo Incendiarius, Barbosa de potest. Episc. alleg. 5. num. 89. Castro-palao disput. 3. punct. 24. num. 5. tenentur tamen diœcesani, & ordinarii incendiarios excommuni-

care, atque excommunicatos denunciare; & tunc eorum absolutio Romano Pontifici referatur. Latius profequitur expositionem hujus excommunicationis Gibalinus verbo *Incendiarius*.

d *Laborare*.] Etsi graviter peccent beneficia de manu laici accipiendo, ut probavi in cap. *quisquis*, de *elect.*

CAPUT XX.

a Clemens III.

AD eminentiam Sedis Apostolicæ est recurrendum quotiens articulus dubitationis emergit, ut tantò quis promptiori conscientia recipiat, & obleret, quod super re dubia sibi fuerit a Sede Apostolica responsum, quantò prærogativâ dignitatis illius certiori noscitur ipsius sententia veritate roborata, quæ in beato Petro Apostolorum Principe præ omnibus aliis amplitudinem prælationis accepit. Sicut autem ex parte fraternitatis tuæ nostris est auribus intimatum, dubium tibi existit, utrum ij sint absolutionis consequuti beneficium, qui cum pro injectione manuum in clericos, vel alias religiosas personas, excommunicationem incurrerint, à legatis Cardinalibus, qui à latere Rom. pont. destinantur pro tempore, fuerint absoluti, cum iidem Legati mandatum sibi super hoc non ostendant expressum. Super quo id à te, ac tuis suffraganeis volumus observari, ut eos habeatis absque omni hesitationis scrupulo absolutos, quos consistit à talibus beneficium fuisse absolutionis adeptos.

NOTÆ.

a *Clemens III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 9. etsi nullibi exprimitur cui Prælato rescribat Pontifex.

b *Religiosas personas*.] Canonicos videlicet regulares, religiosos, aut conversos ut probavi in cap. *non dubium* 5, hoc tit.

I. c *À latere*.] Non tamen temporibus Clementis III. omnes Legati à latere ex Cardinalibus eligebantur, sed ex Episcopis, aut Archiepiscopis, ut probant Glossa in cap. *excommunicatis*, de offic. leg. Souchetus ad epist. 260. Ivonis Carnot. Unde ex præsentibus verbis, Legatis Cardinalibus, non inferas, his temporibus omnes Legatos à latere fuisse Cardinales, licet postea observatum sit, ut non nisi Cardinales Legati mittantur à latere, seu de latere.

d *À talibus*.] Legatis videlicet à latere, nam inter eos, & alios Legatos missos, seu natos magna versatur differentia; nam Legatus à latere à quacunque percussione poterit absolvere, tam eos qui sunt de sua provincia, quam alios omnes, qui ad eum recurrerint toto tempore suæ legationis, hoc est à die, quo à Curia Romana egredietur, usque ad diem, quo ad ipsam regredietur, Glossa, & Panormit. in cap. *excommunicatis*, de offic. legat. Legatus verò missus, qui non est à latere, non potest absolvere nisi eos, qui sunt de provincia sibi commissa, & quandiu in ea extitit, ut facile colligitur ex d. cap. *excommunicatis*. Tandem Legatus natus qui Legati officium simul cum ipsa dignitate habet, non potest absolvere ab hac excommunicatione, nisi in casibus, in quibus alij ordinarij absolvere possunt. Molina de iustit. tract. 3. disp. 58. Gibalin. in synopsis, fol. 466.

CAPUT XXI.

a Clemens III.

NOBIS fuit ex parte tua quæsitum, utrum si quis ita pronunciaverit: Qui fur-tum fecerit, excommunicatus sit? hæc generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de iurisdictione illius. Ad hoc utique dicimus quod hac sententia non nisi e subditi obligantur, nisi fortè postea contulerit major, & largior auctoritas delegantis.

NOTÆ.

I. a *Clemens III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 10. nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex.

2. b *Furtum fecerit*.] Quatenus pro futuris culpis possit excommunicatio proferri, pro conciliatione hujus textus cum cap. *Romana*, §. *caveant*, hoc tit. in 6. exposui in cap. præterea, §. 40. de appellat.

c *Non nisi subditi*.] Glossa in præsentibus expli-

cat, quatenus per mortem Prælati, aut translationem ad aliam Ecclesiam cesset excommunicatio: quam tractationem profequuntur ultra laudatos à Barbosa in præsentibus, Suarez de censur. disput. 20. sect. 2. Gibalinus eod. tract. disquisit. 1. §. 3. num. 1. Balleus verbo *Excommunicatio* 1. nu. 60. Cornejo tom. 3. de censur. tract. 5. disp. 4. dub. 3. §. 3. Diana p. 5. tract. 9. resol. 64.

COMMENT

COMMENTARIUM.

4. **Q**uemadmodum per personas, ita etiam per loca distinctæ sunt iurisdictiones, ne aliquin turbentur, & confundantur; unde administrationi, & territorio adhaerere iurisdictionem Iustinianus affirmat *in l. ult. C. ubi & apud quem*, & notarunt Petrus Gregor. *lib. 47. syntag. cap. 21. num. 33.* Donellus *lib. 17. comment. cap. 9* ubi plures Osualdus *litera C.* Cujacius *lib. 1. Pauli ad edict. in l. ult. ff. de iurisd.* ubi Faber, & Goueanus: Revardus *lib. 3. coniect. cap. 10.* Covar. *pract. cap. 10. num. 7. & in cap. alma, 1. p. §. 10.* Suarez *de censur. disput. 5. sect. 4. & 5. & disput. 26. sect. 1. num. 9.* Hinc extra territorium ius dicenti impunè non pareri, Paulus affirmat *in l. final. ff. de iurisd.* Hinc Præses provincie in subditos suæ provincie tantum imperium habere dum in provincia est, affirmat idem Paulus *in l. 3. ff. de offic. Præsid.* Hinc proconsulem, et si ubique proconsularia insignia habere posse Vlpianus affirmat *in l. 1. ff. de offic. Proconsul. potestatem autem exercere non posse, nisi in ea provincia sola, quæ ei decreta est.* Idem affirmat *in d. l. 1. vers. Potestatem*: inter quem, & Præsidentem provincie non contemnendam differentiam primus observavit Cujacius *lib. 20. observ. cap. 37.* Hinc Duumviro non licere extollere potestatem facium extra metas territorij propriae civitatis, Honorius, & Theodosius statuunt *in l. Duumvirum 53. C. de Decur. lib. 10.* Hinc extra provincie terminos non esse licentiam accusatori progredi, constituunt Imperat. *in l. ultra 10. l. extra 16. C. Theodof. de accusat.* Faciunt lex cum vnus, §. is. ff. de bonis auctorit. judic. l. 1. in fine, ff. de offic. Præf. Urb. & regulariter certum est, iurisdictionem contentiosam extra territorium exerceri non posse; à qua regula excipitur casus singularis relatus *in l. non tantum 51. §. sed Articuleiano, ff. de fideicommiss. libert.* Hinc etiam cum inter Episcopos dioceses divise essent, ita ut unicuique, & proprium territorium, & propria iurisdictione assignaretur, *cap. precipimus 16. q. 1. cap. licet, §. hoc multipliciter, cap. inter memoratos, cap. dilectio 16. q. 3.* variis canonibus statutum est in alienos subditos iurisdictionem exerceri non posse, *cap. nullus, cap. nullum 9. q. 2. cap. Episcopus, cap. Episcopi, cap. non invitati, cap. Episcopus 7. q. 1. cap. si quis Episcopus 11 q. 3. cap. novit, de offic. Legar. cap. Pastoralis, de rescrip. cap. 2. de constit. lib. 6*

cap. ut litigantes, de offic. Ordin. eod. lib. Probavitate in *cap. nullus, de parochiis.* Unde quæsitum fuit à Clemente III. in præfenti, an sententia promulgata à iudice ecclesiastico, ut quisquis furtum commisit, excommunicationem incurreret, ligaret etiam non subditos ibi furtum committentes, & etiam subditos proprios in aliena diocesi furtum perpetrantes? Et videbatur utrosque excommunicatione ligari. Primos, quia ratione d. liciti, hoc est furti perpetrati, fortuitur forum & subditi sunt illius iudicis, in cuius territorio peccarunt, ex traditis in *cap. final. de foro compet.* Secundos, quia subditi ubicunque sint, & vagentur, tenentur legibus propriis. Sed adhuc decrevit contrarium Clemens III. asserens non subditos furtum perpetrantes non ligari prædicta excommunicatione: & similiter subditos extra diocesim furtum committentes non incidere in eam excommunicationem, docetur in *cap. 2. de constit. lib. 6.* quare Doctores variè præsentem textum accipiunt. Panormitanus, & Felinus *hic*, Ancharanus, & Francus *in d. cap. Romana, §. caveant*, docent præsentem textum procedere in excommunicatione lata per modum sententiæ, non verò per modum statuti: sed eos rectè refellit Basilius *de matrim. lib. 5. cap. 7.* Quare eà solutione omiſsa, & aliis traditis à Suarez *lib. 3. de legibus, cap. 32.* Petrus Gregor. *lib. 4. partit. tit. 16. cap. 5.* Covar. *in cap. alma, 1. p. §. 10.* Suarez *de relig. tract. de diebus festis, cap. 13.* Acuña *in cap. que contra 2. dist. 8.* Thomas Benn. *de immunit. eccles. tom. 2. cap. 11. dabit. 1.* Balboa *in cap. 40. de appellat. num. 8.* dicendum est in præfenti casu, alienos subditos furtum committentes, excommunicationem non contrahere, quia licet ratione furti possent puniri ab Episcopo, in cuius territorio illud commiserunt, tamen excommunicationem ab eo statutam non contrahunt, quia cum ejus subditi non essent ratione loci: iustam ignorantie causam habebant, cum nescirent talem excommunicationem in fures latam esse. Tapia *tom. 1. Catena mor. lib. 4. q. 16. art. 4.* Ex eadem etiam ratione subditi proprii in aliena diocesi furtum perpetrantes non ligantur simili excommunicatione, cum etiam ejus ingnari furtum admisisent, immò & furtum hoc casu perpetrantem in loco exempto intra ipsam diocesim, non incidere in excommunicationem docet Marinus *lib. 1. resol. cap. 112.* alia prosequitur Theophilus Raynaud. *tom. 1. 4. de literis mont. quest. 9.*

CAPUT XXII.

a Clemens III.

Conquesti sunt nobis dil. fil. b Regin. Canonici, quod I. de Malafrena, & I. filius Caluaca, & eorum sequaces, Ecclesiam de Miliaton, & alias quasdam Ecclesias Regin. Episcopatus violenter fregerunt, easque spoliare minimè dubitaverunt, & quosdam homines Reginen. Ecclesia deprædari nullatenus dubitaverunt. Quoniam igitur hæc gravia sunt, nec clausis debent oculis pertransiri, mandamus quatenus si ita est, memoratos sacrilegos publicè accensis candelis, ap. cess. excommunicatos c denunciatis, & faciatis sicut excommunicatos arctius evitari, donec passis injuriam congruè satisfaciant, & illata damna data resarciant, & cum literis vestris rei veritatem continentibus se Sedis Apostolicæ conspectui representent.

NOTÆ.

NOTÆ.

sur. dist. ut 22. sect. 2. num. 12. Sayrus eod. tract. in lib. 3. cap. 29. num. 4. Barbola de potest. Episcop. alleg. 50. num. 90. Bonacina de censur. disput. 2. quest. 3. punct. 12. Castro Palao disput. 3. punct. 24. num. 10. Gibalin. de censuris, in synopsi, verbo Immanitas, num. 6. qui etiam docent in presenti casu ad incurrendam excommunicationem, necessariam esse utramque actionem, videlicet Ecclesiæ effractionem, & spoliationem, quia Pontifex in presenti copulativè utitur: nec etiam hanc censuram esse reservatam nisi post denunciationem specialem ipsius excommunicati. Et hoc casu specialiter contingit, ut qui aliquem excommunicatum denunciavit, non possit eum absolvere.

1. a **Clemens III.**] Ita legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 11.* nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex.
- b **Reginen.**] De Reginesi, seu Regieni Ecclesia nonnulla adduxi *in cap. 22. de offic. delegati.*
- c **Denunciatis.**] Consonat textus *in cap. canonica 11. quest. 3. cap. omnes, cap. quisquis 17. quest. 4.* in quibus omnibus iuribus non contineri excommunicationem latam, sed à iudice ferendam, docuerunt Azor *part. 1. instit. lib. 9. cap. 17. quest. 12.* Toletus *lib. 1. summa, cap. 35. num. 6.* Suarez *de cen-*

CAPUT XXIII.

a Clemens III.

Perpendimus ex literis tuis, quod quidam sacerdos tuæ diocesis, pro eo, quod se filium Regis nominare præsumpsit, & armis acceptis seditionem fecit, & guerram, à dilecto filio H. Comite per vicos iustus est fustigari, qui postea ejus mandato traditus patibulo exspiravit. Quia igitur tam ipsum Comitem, quam alios hujus facti participes velle super hoc satisfacere intimasti, præsentis pagina duximus respondendum, quod si memoratus sacerdos tali modo excessit, & arma ferens, non propulsando injuriam, sed eam inferendo fuit occisus, non videtur nobis quod interfectores ejusdem propter hoc ad obtinendam absolutionem Ap. Sed. adire cogantur: tu verò, qui merita personarum bene nosti, eis penitentiam competentem injungas.

NOTÆ.

runt Balboa in cap. 2. de iudiciis, num. 131. Anguinus lib. 2. de legibus, controvers. 15. Barbola tom. 6. in select. ad hunc textum, Saulay in Panopl. cleric. 2. part. lib. 7. cap. 2. Fachineus lib. 9. controu. cap. 23. Martha de jurisd. 4. part. casu 13. sed veram interpretationem hujus textus dedi in cap. clericis, de iudiciis, cap. 1. de apostatis.

1. a **Clemens III.**] Ita legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 12.* & difficultatem hujus textus, quomodo videlicet iudex secularis possit punire clericum seditiosum, nulla præcedente degradatione, variis modis explica-

CAPUT XXIV.

a Clemens III.

Universitatis vestræ consultationem accepimus, quæ à nobis requiritis, utrum ille laicus inciderit in excommunicationis edictum, qui ad iussionem Abbatis, in cuius servitio commoratur, in clericum, aut monachum, aut conversum manus temerarias præsumit injicere, maxime ubi causa non subest, propter quam debent verberari. Nobis autem videtur, quod nisi causam regularis disciplina hoc faciat Abbas in propria persona, vel ubi eum necessitas urget, per clericum, aut monachum fieri jubeat; tam qui tales verberare præcipit, quam illi, qui verberant; etiam si causa subesset, excommunicationis sententiam, donec ad Ap. Sed. veniant, nequaquam evadant.

NOTÆ.

subesset, moderatè his utendum erat, cap. in Archiepiscopatu de raptoribus; de qua verberum poena plura adduxi in cap. 1. de calumn.

1. a **Clemens III.** Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 13.* etsi nullibi exprimitur, cui Prælato rescribat Pontifex.
2. b **Verberari.**] Immo etsi justa causa verberum

c Disciplina.] Correctionis videlicet, quam Prælatus impunè in subditos adhibere valet, juxta tradita *in cap. 1. hoc titulo.*

CAPVT XXV.

a Clemens III.

In audientia nostra talis fuit ex parte tua consultatio proposita, utrum clerici, qui arma ^b militaria, etiam relicto habitu clericali gestare nullatenus erubescunt, si ei fuerit injuria corporalis illata, vel se à captione redemerint, illa clericorum debeant immunitate gaudere, quâ pro temeraria manuum injectione facta in clericum excommunicatus quis ipso jure notatur. Ad hoc tibi breviter respondemus, quod cum frustra Ecclesiæ invocet ^c auxilium, qui committit in ipsam, & lex secularium Principum huic responso satis efficax offerat argumentum, quia manifestè ^d cautum habetur, matronam, cujus pudicitia attentata fuerit, non posse injuriarum agere, si fuerit in veste meretrici deprehensa; hujusmodi clerici, si fuerint a Prælati suis ^e tertio commonti, & noluerint arma militaria deponere, de privilegio aliorum clericorum subsidium aliquod habere non debent.

NOTÆ.

1. ^a *Clemens III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione *sub hoc tit. cap. 14.* nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex.
2. ^b *Militaria.*] Quod clericis valde prohibitum est, ut probavi in *cap. clericis, cap. finali, de vita & honest. cleric. & in cap. petio, de homicidio.*
- ^c *Impleret auxilium.*] Hæc verba exposui in *cap. 2. de cleric. vel monach.*
- ^d *Cautum.*] In *l. item 15. §. si quis virgines 15.*

ff. de injuriis: quam illustant Pancirolo lib. 2. var. cap. 117. Heraldus lib. unic. emend. cap. 12.

^e *Tertio commonti.*] Hæc verba variè exposuerunt Covar. in *cap. alma, l. part. §. 11. num. 13.* Petrus Gregor. *lib. 2. part. tit. 9. cap. final. Vela differt. 45.* Sed veram eorum interpretationem dedi in *cap. final. de vita & honest. cleric.* Ante monitionem tamen, etsi non deferat habitum, nec inserviat Ecclesiæ, juxta requisita Concil. Tridentini, non privatur beneficio canonis *cap. Odoardus, de solut. & similibus; sed tantum privilegio fori, Marini lib. 2. resolut. cap. 48.*

CAPUT XXVI.

a Clemens III.

Quod de his etiam, de quibus non dubitas, & quid de his ipsis servari debeat, plurimum agnovisti, Ap. Sed. responsa requiris, tantò fraternitatem tuam magis in Domino commendamus, quantò in iis, quæ sacrorum canonum institutionibus sunt expressa, nostrâ auctoritate procedere desideras, & disponis. Sanè requisivisti nobis tua fraternitas, utrum qui se confitetur in latæ sententiæ canonem incidisse, nec ad hoc potest induci, ut ad Sed. Ap. veniat absolvendus, ab Episcopo, vel etiam simplici presbytero absolutionis possit, vel debeat beneficium promereri; & utrum presbyteris bigamis, & viduarum maritis, eorum uxoribus viam universæ carnis ingressis, Missarum solennia liceat celebrare. Verum licet quid de his observari debeat, sacris canonibus sit diffinitum, hoc tamen tuæ fraternitati ad præsens duximus respondendum: quod is, qui se asserit in canonem latæ sententiæ incidisse, non nisi per Sed. Ap. vel ejus ^b Legatum absolutionis potest beneficium promereri, nisi fortè in mortis sit articulo constitutus, vel ^c paupertate, vel infirmitate, vel senectute tanta gravetur, quod ad Ecclesiam Romanam laborem subire non valeat veniendi, vel ab hoc alio impedimento canonico retrahatur. Cæterum ab his in forma sacramenti exigi consuevit, ut resumptis viribus, & opportunitate concessa, Romanam Ecclesiam in persona propria debeant visitare.

NOTÆ.

- ^a *Clemens III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 15.* sed nullibi exprimitur Prælati, cui rescribat Pontifex.

^b *Legatum.*] Juxta tradita supra in *cap. ad eminentiam.*

^c *Paupertate.*] Ut probavi supra in *cap. cum non ab homine.*

CAPUT XXVII.

Idem ^a Archiepiscopo, Decano, & Praeceptorum Lugdun.

Cum pro causa, quae inter G. & F. Cabilonensis Ecclesiae Archidiaconae vertebatur, eis concefferimus auditorem, procurator G. allegavit, quod cum Archidiaconus in Succentorem in communi dormitorio manus iniecerit temere violentas, & cum traxisset verberando per claustrum, ut frater Archiepiscopo eum ob violentam manuum injectionem, & violationem immunitatis Ecclesiae fecisset excommunicatum publicum nunciari: ipse vero ad Ap. Sed. accedens confessus est, quod in clericum manus iniecerat violentas: supprimens autem, quod immunitatem violasset Ecclesiae, super absolutione sua literas impetravit. Nos igitur causam ipsam vestro examini committentes, disc. v. mandamus, quatenus si vobis constiterit, dictum F. Archid. ob ^b duplicem causam excommunicatum fuisse, & expressisse tantum alteram in literis, quas super absolutione sua impetravit; ipsum tanquam excommunicatum satisfacere Ecclesiae suae pro altera, monitione praemissa cogatis.

NOTÆ.

1. ^a **A**rchiepiscopo.] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 1. sed veram inscriptionem huius textus, & integram dedi in cap. cum pro causa, de Procurat.
2. ^b *Duplicem causam.*] Sicut censura potest iterari ex diversis causis, ut probat late Gibalinus de censur. cap. 6. ita & potest absolutio contingere unius censurae, remanente alia, ut idem

probat *disquisit. 9. quest. 14.* Unde recte in presenti docet Innocentius, quod qui ex duplici causa excommunicationem contraxerat, & impetravit absolutionem ex una, non manet absolutus, cum adhuc supersit alia causa alterius censurae. In presenti autem duplex fuit causa censurae: verberatio, & violatio loci sacri, seu sacrilegium. Caeterum verberatio, & protractio per claustrum unum peccatum, & unicam censuram important, Tapia *lib. 3. catena mor. quest. 4. art. 2.*

CAPUT XXVIII.

Innocent. III. Abbati a S. Andrea.

A Nobis est saepe quaesitum, utrum si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint poenitentiae manifesta, nec per eum steterit, quominus reconciliaretur ecclesiastica disciplinae unitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab ecclesia sit habendus; & utrum pro tali sit recipienda elemosyna, & a fidelibus sit orandum. Ut autem quod intendimus per suppositionem exempli apertius exprimamus, quidam presbyter, & canonicus regularis, sicut per tuas nobis literas intimasti, cum publica laboraret infamia, quod ad quandam conjugatam accederet, maritus ejusdem mulieris, & consanguinei ejus in eum manus ^b iniecerunt temere violentas: propter quod per Episcopum denunciati sunt excommunicationis sententiae subiacere. Unde ipsi postmodum ad eundem Episcopum accedentes, praestito in manibus ejus, quod parerent iudicio Ecclesiae corporaliter juramento, in mandatis receperunt ab ipso, quod propter hoc Apostolico se conspectui praesentarent. Cumque unus eorum se ad iter accingeret veniendi, a quibusdam suis amulis est peremptus, & extra caemeterium Ecclesiae tumultatus; & licet contra interfectores amici, & consanguinei interfecti sint graviter commoti, promiserunt eis tamen omnem rancorem remittere, & offensam, dummodo interfecti cadaver traderetur ecclesiasticae sepulturae. Videretur igitur in hoc casu forsitan quibusdam, quod cum sacramentum, non necessitatis articulus, sed contemptus religionis excludat, & iudicium Ecclesiae divinum possit, & debeat imitari iudicium, cum in interfecto praedicto manifesta poenitentiae signa praecesserant, propter hoc absolutus etiam ab Ecclesia sit habendus; sed est contrarium, cum ex sola culpa ligetur quis quoad Deum apud triumphantem Ecclesiam, ex sola vero sententia ligetur quoad hominem apud Ecclesiam militantem, quando vinculum culpae remittitur, absolvitur apud Deum, sed apud homines non absolvitur, nisi quando vinculum sententiae relaxatur, alioquin Ecclesiae absolutio nullatenus necessaria videretur, si in sola cordis, ^d contritione praeter sacerdotale officium rigor relaxetur disciplinae ecclesiasticae. Nos ergo consult, tuae

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

D d d 2 de

de consilio fratrum nostrorum breviter respondemus, quod iudicium Dei veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, semper innititur; iudicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere semper contingit; & falli; propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus; & qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententiâ innodatus. Vinculum ergo, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissionem dissolvitur. Illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententiâ remittitur, & relaxatur. Quod in suscitacione Lazari sermo evangelicus manifestat, quem Dominus prius suscitavit, & Apostolis præcepit postmodum solvere suscitatum. Unde quantumcunque se dictus vir juramento præfinito, quod Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit; quantumcunque penitentiæ signa præfiterent: quia tamen morte præventus absolucionis non potuit beneficiū obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus; potest tamen, & debet beneficio ei Ecclesiæ subveniri, sic ut cum de ipsius viventis penitentiâ per evidentia signa confiterit, defuncto etiam absolucionis beneficiū impendatur. Nec obstat, quod Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi, atque solvendi homines super terram, tanquam non possit solvere, & ligare sub terra sepultos: & quod legitur: Non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo: cum etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus religionis, sed necessitatis articulus impedivit: & in certis casibus à canonibus denotatis ligasse legitur Ecclesia mortuos, & solvisse. Ut autem in uno pariter, & in eodem negotio servemus rigorem, & mansuetudinem ostendamus, statuimus, ut illius mortui absolucio à Sede Apostolica requiratur, qui cum viveret, ab Ap. Sed. fuerat absolvendus: aliorum autem absolucionem ex præmissa causa cæteris indulgemus, à quibus cum viverent, fuerant absolvendi. Absolucionis autem forma servetur, ut fiat cum penitentiâ psalmo, & tam oratione Dominicâ, quam aliâ consuetâ. Hæredes tantum ipsius ad satisfaciendum pro ipso, si commotione præmissâ noluerint, per districtionem ecclesiasticam compellantur. Datum Later. II. Non. Maii,

NOTÆ.

1. ^a *S. Antli Andrea.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 2. & in epistolis Innoc. III. Coloniz editis lib. 2. fol. 308. nulli tamen exprimitur, nec ex textu constat, ubi sit monasterium sancti Andrea, cum plura sint huius nominis, tam monachorum, quam canonicorum regularium.
2. ^b *Manus injecerunt.*] Moti tantum famâ, & rumore, aliâ si in ipso actu turpi sacerdos deprehensus esset, non incidet et maritus in hanc excommunicationem canonis, ut probavi in cap. 3. hoc tit.
3. ^c *Sacramentum.*] Id est juramentum, ut plerumque accipitur in utroque jure, ut probavi in cap. 1. de feriis.
3. ^d *Contritione.*] Non enim contritio, aut respiciencia facit, ut excommunicatus, quando manet excommunicatus, id est non sequatâ absolucione, communibus suffragiis, & subsidiis Ecclesiæ gaudeat, cap. sacris, hoc tit. probant Sotus in 4. dist. 27. quest. 1. art. 1. Suarez de censur. disput. 9. sect. 3. Bonacina de excom. quest. 2. punct. 1. num. 6. Hurtado eod. tract. disput. 2. difficul. 5. Gibalinus de censur. disquisit. 7. quest. 4. 1. part. et si contrarium teneat Covar. in cap. alma, 4. part. §. 6. num. 4. Tolerus in summa, lib. 1. cap. 4. num. 4. Avila de censur. 2. part. cap. 6. disput. 4. dub. 2. Villalobos. 1. part. summa, tract. 17. difficul. 4. Per

contritionem enim excommunicatus in gratiam cum Deo redit, ut communionem internam cum reliquis membris corporis mystici Christi habeat, ut probat Gibalinus de censur. disquisit. 1. quest. 1. num. 3. At verò ea comunio longè diversa est à participatione suffragiorum Ecclesiæ, quæ consistit in eo, ut Ecclesia directè oret pro aliquo, & illi fructum sacrificij, & cætera bona communia applicet. Quare cum durante excommunicatione durent ejus effectus, ideo non sequuta absolucione, excommunicatus decedens sepulture ecclesiastica tradi non debet.

^e *Fallere.*] In negotiis videlicet privatis, ubi Ecclesia aliquid non definit. Roa de jurib. Princip. quest. 1. num. 3.

^f *Absolucionis beneficiū.* Declarando ipsam absolutum decessisse. Covar. in cap. alma, 1. part. §. 11. num. 8. ex traditis in cap. 5. de heret. ubi probavi.

^g *Communicatum & vivo.*] Cap. sacris, ubi probavi, de sepult. ut ita suffragus, & orationibus Ecclesiæ juvetur, cap. sacerdos 26. quest. 7. ibi. Penitentes verò, qui leges penitentiæ attentè exequuntur, si casu itinere, vel in mare fuerint mortui, ubi eis subveniri non potest, memoria eorum Oblationibus, & orationibus commendatur. Immo & ante hanc absolucionem in privatis Missis posse orari pro contrito in excommunicatione decedente, constat ex cap. sacris, hoc tit. & probat Manrique de different. quest. 3. num. 5.

CAPVT XXIX.

N. a *Uratislaviensi Episcopo.*

Nuper à nobis tua fraternitas requisivit, quid sit de illis laïcis sentiendum, qui clericos violenter, sine læsione tamen, in custodia detinent publica, vel privata, vel etiam detrudunt in vincula, utrum in canonem sententiæ latæ incidant, ut ipso facto sint vinculo excommunicationis innodati, sicut illi, qui manus in clericos injiciunt temerè violentas; & utrum qui nominatim excommunicatis scienter communicant, absolvi ab excommunicatione possint per confessionem à simplici sacerdote vel Episcopi, seu Archipresbyteri sit ab eis absolutio expetenda: & si post actam poenitentiam cum illis valeas dispensare, qui etsi bigami de jure non sunt, de facto saltem bigami nominantur, eo quod in sacris ordinibus constituti more nuptiali secundas in contubernium sibi mulierculas adjunxerunt. Nos igitur inquisitioni tuæ tali duximus ex ordine respondendum, quod in primo consultationis articulo non credimus laïcos poenam excommunicationis^b evadere, quamvis eorum factum corporalis læsio non fuerit subsequuta, citra quam violentiam sapius circa clericos nequiter perpetratur. In secunda verò quæstione credimus distinguendum, an is, qui nominatim excommunicato scienter communicat, in crimine communicet^c criminoso, ei consilium impendendo, auxilium, vel favorem, aut aliàs in d oratione, vel osculo, vel orando secum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cum talis & communicet crimini, & participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit, ab eo, vel ejus superiore meritò delicti tunc erit absolutio requirenda, cum juxta canonicas sanctiones^e facientes, & consentientes par poena constringat. In secundo verò casu à suo Episcopo, vel proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere. Quamvis enim & tunc non iudicis, sed juris sententiæ excommunicato communicans sit ligatus; quia tamen conditor canonum solutionem ejus sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Is autem, qui juxta primum modum excommunicat, cum juramento debet absolvi. Qui verò juxta secundum modum illi participat, reconciliari poterit sine juratoria cautione. Verum si difficile sit ex aliqua justa causa, quod ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut præstita juxta formam Ecclesiæ cautione, quod excommunicatoris mandato parebit, à suo absolvatur Episcopo, vel proprio sacerdote. § Tertius, & ultimus inquisitionis articulus videbatur habere non modicum quæstionis: quoniam cum in matrimoniis contrahendis, non juris affectus, sed animi destinatio attendatur, unde illum comitatur infamia, qui duas simul habet uxores, quod partim ad factum convenit retorqueri, sicut & quod in canone legitur de presbytero, qui non legalibus nuptiis detinetur, eadem censurâ tales inter bigamos videntur reputandi: licet objici possit ex adverso, quod opinioni sit veritas præferenda, & quod juxta præmissa, qui nullam uxorem habuit, foret bigamus reputandus; quod contingeret, si quis de facto contraheret cum diversis, quibus de jure non posset matrimonialiter copulari. Nos autem in hac quæstione taliter respondemus, quod cum hujusmodi clericis, qui quantum in ipsis fuit, secundas sibi mulieres matrimonialiter conjunxerunt, tanquam cum bigamis non liceat dispensari, licet in veritate bigami non existant, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsequuto. Datum Lateran. XVII. Kal. Junii.

NOTÆ.

1. a *Vratislaviensi.*] In tertia collectione, sub hoc tit cap. 3. habetur *Vvineglaniensi*: sed retinenda est præsens inscriptio, quæ etiam habetur in ipso registro epistolarum Innocentii III. correcto à Sirleto, lib. 2. fol. 311. ex quo integram hujus textus restituo. Vratislaviensis civitas est in Silesia, provincia Bohemæ, ejus Ecclesiæ Cathedralis primum fuit Smograz, inde

D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Leonardus Episcopus Sedem transfudit anno 1041. Viciniam; Hieronymus verò Episcopus anno 1062. Cathedram cum Collegio Canonicorum Vratislaviam transvexit, ut refert Aubertus Miræus *de rebus Bohemicis*, cap. 9. Jaroslao ejus Episcopo, qui fuit Silesiæ Principis filius, rescribit in præfenti Innocentius, ut jam notavi in cap. nuper, de bigamis.

b *Evadere.*] Ut probavi supra in cap. cum desideres, hoc titulo.

Ddd 3

c Crimi-

2. *c Criminosum.*] Quo casu communicans cum excommunicato majori excommunicatione ligato, in eandem incidit excommunicationem: exempli gratiâ si Petrus clericus, iussus sit domo expellere concubinam intra sex dies sub pœna excommunicationis majoris; & quia non paruit, elapso eo termino, incurrit ipso facto excommunicationem, qui deinde illi communicando auxilium, aut consilium dat concubinam ut retineat, incidit in eandem excommunicationem, ut probant Covar. in cap. almas. part. 3. num. 5. Avila de censur. disput. 10. dub. 3. Hurtado. de excommunico disput. 9. difficult. 3. num. 12. Villalobos l. p. tract. 17. difficult. 13. num. 6. Ricciulus de jure person. lib. 4. cap. 45. Gibalinus de censur. disquis. 7. quest. 9. qui rectè docent, hoc in casu desiderari ut communicatio sit in ipso crimine, cujus causâ excommunicatio imposita est; non verò si quis communicaverit cum ipso excommunicato in alio crimine, etiam gravior. Item desideratur, ut talis excommunicatus sit denunciatus, ut probat Gibalinus ubi proximè.
- d *Oratione, vel osculo.*] Quos communican-

di modos, & alios exposui in cap. sacris, de his qua vi.

e *Facientes, & consentientes.*] Juxta tradita in cap. 1. de officio deleg.

f *Concessisse videtur.*] Unde generalem regulam DD. proponunt, omnem juris, & canonis excommunicationem non reservatam posse à proprio sacerdote absolvi; quia quamvis ex negatione prohibitionis nequeat fortassis in materia jurisdictionis colligi semper positiva concessio; in hoc tamen peculiari negotio excommunicationis negatio prohibitionis absolvendi infer concessionem potestatis absolvendi, ut indicat aperte Innoc. in presenti, ex antiquo profectò jure, & usum jam inducto, quem potius afferre, aut interpretari videtur Pontifex, quam novum jus condere: ex qua regula varias illationes ad diversos casus deducunt Basilius lib. 6. de matrim. cap. 8. Anguiar. de legib. lib. 2. cap. 3. Gibalinus de censur. disquis. 9. quest. 3.

g *Tertius.*] Verba quæ sequuntur, extant in cap. nuper, de bigam. ubi ea exposui.

CAPUT XXX.

Idem ^a *Strigoniensi Archiepiscopo.*

Quod in dubiis. *Et infra:* Respondemus, quod excommunicato, licet quod sit mandato Ecclesie, juramento firmaverit, communicari non debet, donec per Ecclesiam fuerit absolutus, alioquin post juramentum non esset absolutio necessaria. Nullus autem scienter nominatim excommunicato communicare tenetur, nisi quædam personæ, quæ per illud Gregor. Pap. capitulum, *Quoniam multos*, specialiter excusantur. Illi autem qui nominatim excommunicatis præsumptuosè participant, præter personas dicto canone adnotatas, nisi ab eorum participatione communiti fortè destiterint, e excommunicationis vinculo sunt innodandi: secus autem si scienter communicant ei, qui cum participibus suis est vinculo excommunicationis sententialiter innodatus; tunc enim & ipsi sententiam excommunicationis incurunt.

NOTÆ.

- I. ^a *Strigoniensi.*] Ita etiam legitur in tertiâ collectione sub hoc tit. cap. 9. & in cap. quod in dubiis, de panis, ubi alias partes hujus Decretalis congeffi.

b *Capit. quoniam.*] 11. quest. 3. Quem textum exposui in cap. sacris, de his qua vi.

c *Excommunicationis.*] Majoris videlicet, juxta tradita supra in cap. significavit, ubi, & in dicto capite sacris, & in c. 2. de exceptione, legi de pœna communicantis cum excommunicato.

CAPUT XXXI.

Idem *Doctoribus Decretorum a Bononia.*

Inter alia, quæ ven. f. n. ^b Mendiosien, Archiepiscopus dudum Apostolatu nostro proponi fecit humiliter consulendo, etiam, si bene meminimus, requisivit, utrum excommunicato communicare quis, & qui etiam teneantur? Cui super illo recolimus articulo respondisse, quod nullus omnino nominatim excommunicato scienter communicare tenetur, nisi quædam personæ, quæ per illud Gregorii Papæ capitulum, *Quoniam multos*, specialiter excusantur. Verum ex hac nostra responsione magna quidem, sicut accepimus, orta est occasio disputandi, aliis concedentibus, quod excommunicato communicare teneantur personæ in prædicto capitulo nominatæ, præsertim quæ prius ex debito ad communicationem eorum tenebantur: aliis asserentibus, eos excommunicatis communicare licitè posse, si velint, non tamen ad hoc ex necessitate teneri. Ut igitur unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat, ambiguitatem

biguitatem hujusmodi taliter duximus absolvendam, quod cum quædam persona in præmissis capitulis prius denotata, illis in quas lata fuerit excommunicationis sententia, subsequenter ante prolationem ipsius obsequio tenerentur familiariter adherere, neque postmodum ad contraria teneantur, cum adhuc ipsum debitum daret, beneficio canonis id agente, à priori non sint obnoxietate soluta, sed ad familiare tenentur obsequium: & ita per consequentiam ad communicationem quoque tenentur, sine qua illud nequeunt exhibere. Id autem non ad omnes personas capitulum credimus referendum, ut videlicet obnoxietati hujusmodi sint subjectæ, cum viatores, peregrini, & mercatores à communione talium personarum, nisi articulus necessitatis imminet, debeant abstinere, ut in fine colligitur manifestè; sed ad illas dumtaxat, quæ talibus arctiori tenentur obnoxietate contrictæ, de quibus tamen in iis, pro quibus sunt excommunicatione notatæ, ut in criminibus, communicare non debent, sed ab eis penitus abstinere. Unde prudenter in præmissa consultatione respondemus, non omnes personas, sed quasdam, quæ per illud Gregorii Papæ capitulum specialiter excusantur, ad communionem hujusmodi præmissis modo teneri. Utrum autem & illa personæ propter atrocitatem facinoris severius puniendæ, à communione talium per excommunicationis sententiam debeant aliquando prohiberi, quia quæsitum non extitit, responsum non fuit.

NOTÆ.

I. ^a *Bonon.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* & in præsentis scribit Innocentius Doctoribus Bononiensibus, ut etiam Professoribus Parisiensibus *in cap. ex literis, de consuet.* Scholasticis Lutetianis *in cap. quia in causis, de procurat.* Bononiensis perantiqua, ac celebris Academia est in Italia, quam Theodosius Major Imperator erexit, ubi floruerunt semper omnia literarum studia. Debitis encomiis illam extollunt Glossa in proœmio hujus voluminis, & *in l. final. Cod. de testamen.* Papirius Malonius *lib. 5. de gestis Roman. Pontif. in Honore VI.* Miden-

dorpius *de Academicis, fol. 3.* P. Mendo *de jure Academico lib. 1. quest. 2. num. 16.* Iisdem etiam Doctoribus misit Innocentius compilationem suarum epistolarum, ut refertur in principio tertiæ collectionis.

b *Mendiosensis.*) Ita legitur in tertia collectione, sed rectius in sexta habetur *Strigoniensis;* nam in præsentis textu mentio fit textus antecedentis, ubi Strigoniensi Archiepiscopo rescribitur.

c *Capitulum.*) Relatum *in capit. quoniam multos 11. question. 3.* quem textum latè explicat Gibalinus *de censur. disquisit. 7. question. 9. cons. 3.*

CAPVT XXXII.

^a Idem.

Cum illorum absolutio, qui pro violenta manuum injectione in clericos, labem excommunicationis incurrunt, præterquam in quibusdam casibus à prædecessoribus nostris exceptis, Sedi dumtaxat Apostolicæ reservetur, nonnulli Ecc. sententiam negligentes, in excommunicatione positi ecclesiasticos ordines accipere non formidant: quid autem fieri debeat de his, Ap. sapius oraculum imploratur: circa quos credimus, sicut reperitur in subditis, distinguendum, quod tales, vel sciunt excommunicationis se vinculis irretitos; vel non recolunt factum, pro quo in lata sententiæ canonem inciderunt; vel factum quidem scientes, juris ignari nesciunt exinde se teneri. Primos, si fuerint sæculares, à subreptis ordinibus censemus in perpetuum ^b deponendos: in reliquis casibus tam Archiepiscopi, quàm Episcopi absque mandato Sed. Apost. speciali dispensandi facultatem se noverint non habere, quibus est etiam absolutio talium interdicta, ut majora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora. Potuerunt tamen hujusmodi Roman. Pontificis auribus intimari, ut ab eo secundum rigorem, vel æquitatem responsum prodeat, prout ejus discretio viderit faciendum. Qui si claustrales hujusmodi fuerint, licet à bonæ memoriæ Papa prædecess. nostro Alexandro fuerint constitutum, quod monachi, & canonici regulares, quocunque modo se in claustris percusserint, non sunt ad Apost. Sed. mittendi, sed secundum discretionem, & providentiam Abbatis sui disciplinæ subdantur; & si Abbatis discretio ad eorum correctionem non sufficit, providentia diœcesani Episcopi est adhibenda; & alibi dicat: quod de sæculo fugiens, qui religionis habitum in monasterio receperunt, & inter cætera postmodum confitentur se tale commississe delictum, per quod ipso actu excommunicationis sententiam incurrerunt, sine licentia Roman. Pontificis Abbas non potest eos, nec debet absolvere, quamvis præsumptionem de-

Ddd 4

linquentium

linquentium debita possit animadversione punire. Nos tamen in religionis favorem, ut evagandi materia subtrahatur, majorem eis gratiam exhibere volentes, quod in talibus absolutionis beneficium valeant impertiri, eorum Abbatibus indulgemus, nisi excessus ipsorum extiterit adeo difficilis, & enormis, utpote si ad mutilationem membri, vel effusionem sanguinis est processum, aut in Episcopum, aut in Abbatem violenter sit manus injecta; cum excessus tales, & similes nequeant sine scandalo prateriri; si verò claustralis aliquis in religiosum alterius claustrum manus injecerit violentas, per Abbatem proprium, & ejus, qui passus est injuriam, absolvatur. Quod si clericum percusserit sacularem, non nisi per Apostolicam Sedem, ut scandalum evitetur, absolutionis gratiam poterit promereri. Si autem & hos ad ordinem promovendi contingat, juxta pramissam distinctionem, qui scienter in contemptum ecclesiasticae disciplinae se fecerint ordinari, ab executione suscepti ordinis, & officii decernimus manere suspensos. Circa reliquos verò facti memoriam, vel juris peritiam non habentes, monasterii utilitate pensata, post injunctam, & peractam poenitentiam Abbates ipsorum poterunt dispensare, nisi grave fuerit, & notabile factum: aut is, qui fecit, adultus fuerit, & discretus, ut violenter, & validè contra oblivionem, vel ignorantiam praesumatur. Praecipuus autem Abbatibus, ut formam istam diligenter observent, ne privilegium mereatur amittere, qui permessa sibi abutitur potestate.

NOTÆ.

1. ^a *[Dem.]* Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* & cum praesens epistola non reperitur inter editas à Sirleto & Bosqueto, ideo non constat, cui Praelato rescribat Innocentius.
2. ^b *Deponendos.* Suscipiens enim ordines, ligatus quacunq; majori excommunicatione suspenditur ab executione ordinis jam suscepti, & deponitur; si verò alià censuram innodatus, videlicet interdictione, aut suspensione, ad ordines ascendat, non punitur eadem poenà, ut docent Suarez de censur. disput. 31. sect. 1. num. 58. Avila de censur. 7. part. disputat. 1. dub. 6. Bonacina de censur. disput. 3. quest. 1. punct. 6. Gibalinus eodem tract. in synop. verbo Ordo, num. 3.

COMMENTARIUM.

Cum certum principium juris sit, ignorantiam facti à poenis legibus sancitis excusare, juris verò ignorantiam excusationem in delictis non praestare, *ignorantia, de regul. juris, lib. 6. l. liberorum 1. ff. de his qui notant. infam. l. 20. tit. 1. part. 1.* quæri solet, an factum committens, cui censura, aut irregularitas adjuncta est, ignarus constitutionis, quæ censura statuta fuit, in eam incidat? In qua quaestione aliqui docent, ignorantiam similis constitutionis non excusare reum à censura, moti ex praesenti textu, dum in eo docetur, ab excommunicatione propter violentam manuum injectionem statuta in canone *si quis suadente 17. quest. 4.* absolvi non posse Episcopum eos, qui ignati canonis in censuram inciderunt. Si enim absolutio Pontificis necessaria est, juris ignorantia ab excommunicatione non excusat. Ita docuerunt Glossa in *cap. à nobis. el. 1. verbo Nisi, hoc tit.* Sotus in *4. dist. 6. quest. 8. in princip.* Covarruv. in *cap. alma, 1. part. §. 12. à num. 9. usque ad 12.* & alii quos refert Sanchez *lib. 9. de matrim. disputat. 32. num. 7.* Alii discrimen constituunt inter excommunicationem in jure expressam, & inter censuram ab homine prolatam, ut in illis juris ignorantia non excuset, quia legem generalem nulli licet ignorare; in istis autem ignorantia profit ex *cap. 2. de constit. in 6.* ita Glossa *ibidem*, & alii laudati à Sanchez *ubi su-*

pra, num. 8. Sed illis sententiis omittis verius docuerunt Salas de *legibus, disput. 15. sect. 9.* Sanchez *suprà num. 9.* juris ignorantiam ab excommunicatione excusare, si illa lata sit à jure, si ve ab homine; quod ex ejus natura peculiari procedit; nam ad eam incurramdam desideratur specialis contumacia, *cap. nemo contemnat. cap. audi denique, 11. quest. 3.* Unde qui ignarus canonis incidit in casum censuræ, non potest dici contumax; nam licet culpabilis existat, quatenus negligit scire canonis dispositiones, non tamen dicitur illis contumaciter resistere. Quam sententiam absolute credo accipiendam, non solum cum nova censura fertur eo casu, quo nulla praecesserat prohibitio; sed eo etiam, quo fertur in confirmationem antiquæ prohibitionis; nam & tunc ignorantia liberat à censura, ut resolvit idem Sanchez, quia respectu canonis censuram imponentis non datur contumacia. Facit textus in *cap. proposuisti, 82. dist. 1.* dum ait clericos incontinentes, ignorantes constitutione Siricii Papæ, quæ suspensionis poenam plectendos decrevit, eam non puniri, quamvis ante illud decretum contentia clericorum fuisset praesumpta. Ignorantia enim excusat eos à poena suspensionis, ut ab aliis censuris, licet lata sit propter factum ante legem poenalem inhibendum. Huic sententiae consequens est, ut qui certus est de prohibitione juris, ignorat autem poenam excommunicationis eo decreto comprehensam; cum respectu censuræ contumax non sit, licet aliàs peccet, non incidat in excommunicationem, ut probant Suarez *tom. 5. de censur. disput. 4. sect. 9. num. 19.* Sanchez *disput. 32. num. 13.* quamvis multi ab eo relati *num. 11.* contrarium teneant. Quod enim dicitur, consensum accommodantem ad delictum, videri se subijcere poenæ illius, *l. Imperatores, ff. de jure fisci.* procedit in poena cognita, & delicto proportionata; non tamen in poena extraordinaria, qualis est excommunicatio, quæ contumaciam petit. Nec tunc obstat praesens textus, qui procedit in eo, qui manus violentas in clericum injecit, ac postea ordinatus fuit per ignorantiam juris, quæ in hac specie culpabilis fuit. Sciendum enim est, excommunicatum privari à sacramentorum receptione, *cap. final. de cleric. excomm.* Covarr. in *cap. alma, 1. part. §. 6. num. 5.* Suarez de *censur. disputat. 10. sect. 1.* Unde excommunicatus

si ordinetur, non debet in gradu suscepto ministrare, nisi concessâ dispensatione à Pontifice, ut Innocentius in præsentî decidit. Rursus sciendum est, irregularitatis notâ affici clericum, qui ignarus censuræ, tam ignorantia facti, quam ignorantia juris ordinatus est, ut idem Innocentius ait: cum autem utriusque ignorantia idem sit effectus in præsentî casu, ignorantia autem facti excusare solet

à censura, *c. si verò 4. hoc tit.* sequitur utramque ignorantiam culpabilem extitisse in præsentî casu: quod evenire potest eo casu, quo nimirum crassa fuerit, aut supina, *ex c. 2. de consis. in 6.* Si autem ignorantia probabilis fuisset, excusaretur ab irregularitate, seu potius suspensione, ut docent Suarez, & Bonacina, & proximè Majolus *lib. 4. de irregul. cap. 34.* Marius Alter. *de censur. cap. 6. dub. 2.*

CAPVT XXXIII.

Idem Episcopo ^a Pistoriensî.

DE monialibus tua à nobis f. requisivit, per quem eis sit absolutionis beneficium impendendum, si vel in se invicem, vel conversos, vel conversas suas, aut clericos etiam in suis monasteriis servientes manus injecerunt temerè violentas. Super hæc igitur tua consultiōni taliter respondemus, ut auctoritate nostra per Episcopum, in curia diocesi monasteria fuerint, absolvantur.

NOTÆ.

I. ^a *Pistoriensî.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* & in præsentî tantum deciditur, quis possit absolvere moniales ab excommunicatione incurta propter violentam injectionem manuum in clericos; nam si mulieres regulariter absolvendæ sunt per proprium Episco-

pum, extraditis *in cap. mulieres, hoc tit.* multò magis moniales, in quibus ultra rationem sexus adest etiam impedimentum clausuræ. Unde rectè Innocentius in præsentî respondit, moniales manus injicientes in clericos, absolvi posse à proprio Episcopo: quod etiam procedit in monachis percutientibus clericum sæcularem, ut probavi supra *in cap. monachi.*

CAPVT XXXIV.

Idem ^a *Vniuersis Crucesignatis.*

SI verè vos pœnitet de commisso, & plenè proponitis satisfacere de peccato, Dominum vobis credimus, immò novimus jam placatum. Si ergo ^b Veneti potuerint ad satisfactionem induci, & absolutionis beneficium meruerint ^c obtinere, securè cum eis navigare poteritis, & prælium Domini præliari. Quod si nec satisfacere fortè voluerint, nec absolvi, utpote qui non dolere, sed gaudere velint diu de commisso, permittimus vobis, ut cum ipsis usque in terram Sarracenorum, vel Hierosolymitanam provinciam, juxta quod inter vos convenit, & ipsos, vel honestè convenerit, navigio transeatís quanto minus poteritis, cum dolore tamen & amaritudine cordis, & sub spe veniæ communicantes eisdem. Cum enim jam à vobis majorem nauli receperint quantitatem, nec ad eam possint restituendam induci, aut etiam coarctari, si aliter fieret, videremini vos damnum ex pœnitentia, ipsi autem præmium ex contumacia reportare: cum ad hoc debitum exsolvendum ipsi vobis maneant obligati, & ab excommunicatis exigi ^d possit, & recipi quod debetur. Est autem ^e cautum in jure, quod si quisquam per terram hæreticorum, aut quorumlibet excommunicatorum transierit necessaria emerit, ac recipere potest ab eisdem. Præterea si paterfamilias domus excommunicationis sententiâ fuerit innodatus, à participatione ipsius familia excusatur. Licet ergo Dux Venetorum, dominus navium, tanquam paterfamilias domus in excommunicatione persistat; vos tamen tanquam ipsius familia, dum in navibus ejus fueritis, ipsius excommunicatio non continget, & excusabiles eritis apud Deum, si in excommunicatorum navibus existentes, cum dolore cordis sub spe ^f pœnitentiæ excommunicatis ipsis communicaveritis, in quibus communionem eorum nequiveritis evitare. Verùm cum & in terram Sarracenorum, vel Hierosolymitanam provinciam de navibus vos descendere contigerit, nisi Veneti ad satisfaciendum, & recipiendum juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium inducti fuerint, vel compulsi, cum eis nullatenus præsumatis prælium Domini præliari. Ne si eis habentibus aliquid de anathemate in Crucis insurrexeritis inimicos, non prævaleatis in eos, sed terga vertentes fugiatis potius, & cadatis.

NOTÆ.

I. a **C**ruce signatis.) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 13, & refertur epistola hæc inter gesta ipsius Pontificis apud Bosquetum fol. 78. ut autem ejus sententia percipiatur ex ipsis gestis Innocentii III. & aliis historicis casus repetendus est, qui ita contigit. Cum pro recuperatione Terræ sanctæ, tam in Italia, quam in Gallia ingens fieret apparatus, Galli cruce signati miserunt nuncios suos in Italiam ad Ducem, & populum Venetorum, ut ab eis conducere navigia opportuna, & simul cum eis tractarent de societate ineunda: & postquam diversis pactationibus in eam convenerint, inter eos placuit, ut aliquot in Syriam destinatis, cæteri tenderent in Ægyptum, ut caperent Alexandriam, & finitimas regiones; sicque Terra sancta facilius liberaretur de manibus Paganorum. Ubi ergo Franci, & Veneti societatem hujusmodi firmaverunt, utrique simul ad Sedem Apostolicam nuncios destinaverunt petentes ab Innocentio III. ut pactationes inter se initas auctoritate Apostolica confirmaret. Ipse verò futura prælagens cautè respondit se conventiones illas confirmare, ita ut ipsi Christianos non laderent, nisi forsitan iter eorum illi nequiter impedirent, aut alia justa causa, vel necessaria forsitan occurreret, propter quam aliud agere nequirent. Galli hujusmodi confirmationem admiserunt, Veneti verò confirmationem hoc tenore factam recipere reuerunt. Terminò igitur constituto Cruce signatorum exercitus ad partes Venetiarum accessit adeo magnus, fortis, & devotus, ut faciliè crederetur non solum Terram sanctam esse recuperandam, verum & Regnum Babylonicum occupandum. Nam & Veneti tam magnifica navigia præparaverant, ut à longis retrò temporibus nondum visus, sed nec auditus fuerit tantus navium apparatus. Misit etiam Innocentius Petrum tituli S. Marcelli Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, ut cum ipso exercitu proficisceretur nomine Redemptoris: sed Dux, & Consiliarii Venetorum timentes ne ipse impediret eorum propositum, quod conceperant de ladera expugnanda Legato proposuerunt, ut si veller prædicationis munus obire, illum secum ducerent, aliàs tanquam Legatum illum respuebant: quare Cardinalis reversus ad Innocentium illi pravam eorum intentionem retulit; quare Pontifex literas scripsit universis Cruce signatis, districtiùs illis prohibens, ne terras Christianorum infestarent, nominatim laderam, quam Ungariæ Rex possidebat, qui similiter erat Cruce signatus, alioquin scirent, se anathematis vinculo innodatos; hancque excommunicationem fecit per Abbatem de Locerio certius intimari. Verum tam Galli, quam Veneti laderam expugnarunt, spoliisque Iadertinorum inter se divisere: sed Principes Francorum excessum agnoscentes, juraverunt in manibus Episcoporum suorum, quod mandatis Innocentii deinceps parerent, & fecerunt se ab illis absolvi, mittentes Suesionensem Episcopum ad Innocentium III. ut illum consulerent qualiter essent de cætero processuri. Ipse verò per literas suas præcepit eisdem quatenus dignè de tanto penitentes excessu, & satisfaciens congruè de peccato, redderent universa, quæ ad eos de Iadertinorum spoliis pervernerunt, & à similibus de cætero penitus se abstererent. Quia verò sententiam Apostolicæ Sedis

præter auctoritatem ipsius nullus potuit relaxare, quibusdam viris discretis injunxit, ut ab eis, qui nondum juraverant Apostolicis stare mandatis, reciperent juramentum; ab eis autem, qui jam juraverant, exposcerent, ut in eorum præsentia recognoscerent taliter se jurasse; ac deinde juxta formam Ecclesiæ munus absolutionis impenderent, universis injungentes Comitibus, & Baronibus sub debito juramenti, ut per parentes literas, tam se, quam successores suos Sedi Apostolicæ obligarent, quod ad mandatum ejus de tanta præsumptione satisfactionem exhibere curabunt: omnibus autem præcipere in communi, ut à similibus de cætero abstinerent. Porro Comites, & Barones se obligarunt, sicut fuit illis injunctum, & sic omnes absoluti fuerunt: & cum adhuc Veneti nec ad penitentiam agendam, nec ad indulgentiam implorandam voluissent aliquatenus inclinari, consultationi factæ per Suesionensem Episcopum circa modum, quem observaturi erant Cruce signati in communi cum Venetis necessariò habenda in ipsis navigiis, responderet Innocentius in præfata epistola, quam multis Scripturæ auctoritatibus illustrat ut habetur lib. 6. epist. 102. & inter gesta ipsius Pontificis à Bosquero edita. Refertur latius prædictam laderæ obidionem, spolumque Sabellus lib. 9. *Æneid. 5.* P. Iustinian. lib. 2. *hiflor. Venet.* Guntherus monachus Basileensis, qui exrat apud Canisium tom. 5. *antiquit. lect.* Sanutus Torset. lib. 3. part. 11. cap. 1. Spondanus in *continuat. Baronii anno 1201.*

b **Venetis.**] Veneti enim devastatâ Aquileiâ Sede Patriarchali, irruptione, & direptione Attilæ Hunnorum Regis orbis prædatoris potius quam bellatoris, in insulam Gradatum confugerunt, confederuntque, & inde ab incendio Attilæ parum tuti maritima loca, quæ Padus mare superius subit, tenuerunt, civitatemque construxerunt, cui hodie, & tunc Venetiarum est nomen, ut referunt Carolus Sigonius de *Occidentali Imperio, lib. 13. ad annum 452.* & sequentes Philippus Cluberius *Hæticarum antiquitatum lib. 1. cap. 28.* Turfelinus 3. part. *hiflor. lib. 6. sub eodem anno 452.* Saabedra cap. 6. *chron. Got.* à qua occupatione dominium illius maris, libertatem, & exemptionem ab Imperio deducunt Veneti: quod & probant ex Jurisperitis Baldus, & Classici in *l. 1. §. quod si quis 18. ff. de novi oper. nunt.* alique veteres, quos adducunt Tuschus præf. lib. 8. *conclus. 70.* Franc. Marcus 2. part. *decis. 110. num. 11.* D. Joan Solotz tom. 1. de *jure Indiar. lib. 2. cap. 6. ex num. 19.* Valenzuela 1. tom. *consil. 100. num. 55. vers.* Quorum. Olvaldus lib. 4. *Donel. cap. 9. l. it. A.* Jacob Vander de *jure publico, ad l. non dubito. ff. de captiv. cap. 55. num. 3.* Wilembachius *disput. 9. num. 3.* D. Joannes Ramos in *apparatu ad leg. de precatio,* ex aliis Maris foris in *orbe marit. lib. 2. cap. 18. §. 19.* Beloldus in *disert. judic. poli. de divisi. rerum, num. 7.* Salazar in *notis ad Gongoram, in Tabul. Pirami, fol. 181.* & de eorum dominio in mari Adriatico plura Solozanus tom. 1. lib. 3. cap. 3. num. 34.

c **Obtinere.**] Ut postea obtinuerunt Dux Dandulus, & alii Veneti post captam Constantinopolim per Petrum Cardinalem Capuanum tituli sancti Marcelli, ut constat ex lib. 7. *Regestr. ipsius Pontif. epist. 202. & 207.* & refert Spondanus *disert. anno 1201. num. 8.*

d **Exigi possit.**] Ut probavi in cap. cum inter de except.

e **Cantum]** In cap. quoniam multos, n. quest. 3. f. Parisen.

f *Pœnitentia.*) Si aliquando, videlicet voluntariè communicaverint; secus verò si ex necessitate, quia tunc nullà pœnitentiã, aut abso-

lutione indigent, ut docuerunt Suarez *de censur. disputat. 5. sect. 2.* Balboa *in cap. 12. num. 27. de except.*

CAPVT XXXV.

Idem ^a *Lundon. Episcopo.*

UT fama tua consulas, & salutis, & sic malorum audaciã comprimã, ut ab eis bonorum innocentiam tuearis, super his nos humiliter consulis, quã officium pastorale contingunt, ut de nostra responsione securus inunctã tibi sollicitudinis debitum laudabilius exequaris. Sanè nos tua duxit fraternitas consulendos, utrum clerici graviter excedentes, qui tutè non possent monasteriis ad agendam pœnitentiã^b deputari, quoniam cum non pœniteant de commissis, opportunitate fugiendi captata, carcerem fugerent claustris, & prioribus se sceleribus celerius immiscerent, à te, vel aliis^c Prælatis suis arctã possint custodiã mancipari; & utrum laici, si clericos in magnis sceleribus deprehendant, in canonem incidant sententiã promulgatã; cum nec comprehendere, nec ad iudices trahere ipsos possint, nisi in eos manus injecerint violentas. Ad primum igitur respondemus, quod cum Prælatis excessus corrigere debeant subditorum, & publicæ utilitatis interfit, ne crimina maneant impunita, & per impunitatis audaciã fiant, qui fuerant nequam, nequiores; non solum possunt, sed debent etiam superiores clericos, postquam fuerint de crimine canonicè condemnati, sub^d arctã custodia detinere, qui cum sint^e incorrigibiles, nec in monasteriis valeant custodiri, ad similia, vel pejora de facili laberentur. Laici verò circa excommunicationis sententiã capere clericos, & ad iudicium trahere possunt, si oporteat, etiam violenter: dum tamen id de mandato faciant Prælatorum, quorum illi sunt jurisdictioni subiecti, & quorum est corrigere criminosos; cum hoc non ipsi, sed illi, quorum auctoritate id faciunt, facere videantur; dum tamen non amplius eorum violentia se extendat, f^f quàm defensio, vel rebellio exigit clericorum.

NOTÆ.

1. ^a *Londo.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 8.* De qua Ecclesia egi in *cap. 6. de consuetud.* Sed legendum est *Lundensi*, ut notavit Paulus Ydumay in *not. ad Innoc. III. lib. 16. epist. 118.* de qua Ecclesia egi in *cap. 2. de consuet.*
^b *Deputari.*] Ut moris olim erat, *cap. tue*, ubi probavi, *de pœnis.*

^c *Prælatis.*] Juxta tradita in *c. 1. de offic. ordin.*
^d *Sub arctã custodia.*] In carcere videlicet, ut dicemus in *cap. novimus, § fin. de V. S.*

^e *Incorrigibiles.*] Et si tales verè sint, possunt degradari, tradique Curie sæculari, juxta adducta in *cap. cum non ab homine, de judic.*

^f *Quam defensio.*] Et tunc laici ritè adiri possunt, ut probat Salgado *de Regia protect. part. 1. cap. 2. num. 285.* Consonat textus in *cap. 1. hoc tit. in 4. collect.*

CAPUT XXXVI.

Idem ^a *Bracharensi Archiepiscopo.*

CONtingit interdum in partibus tuis, & de consuetudine regionis habetur, sicut tuã nobis f. intimavit, quod clerici, si quem offendant, & satisfacere velint offenso, secundum morem patriã, quem inter se laici jam observant, corpora sua sponte supponunt^b xxx. vel xl. seu pluribus, aut paucioribus percussioibus fustium, quas frequenter non coacti suscipiunt, sed volentes, non solum de aliorum clericorum manibus, sed etiam laicorum. Unde nos humiliter consulebas, utrum hujusmodi percussores in canonem incidant sententiã promulgatã. Nos autem f. t. super hæc t. duximus respondendum, quod hujusmodi manus injectio, etsi non violenta, tamen injuriosa videtur, cum ille canon non tam in favorem clerici ordinati, quàm in favorem ordinis^c clericalis fuerit promulgatus: ideo volumus, & mandamus, ut id de cætero prohibeas attentari per provinciam Bracharensem. Si quis autem clericus post prohibitionem hujusmodi sponte subierit, ^d excommunicetur uterque; proviso, quod clericus injuriam passò sine injuria clericali satisfaciat competenter, quatenus inter eos pax valeat rationabiliter reformari.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. ^a **B** *Racharensi*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 10.* De Bracharensi Metropoli nonnulla adduxi in *c. 7. de in integr. restit.*
^b *Triginta.*] Per quem numerum non creditur perveniri ad effusionem sanguinis, juxta tradita in *cap. 1. de calumniar.*
^c *Ordinis clericalis.*] Unde renunciari non potest, juxta tradita in *cap. si diligenti, de foro compet.*
2. ^d *Excommunicetur.*] Clericum, qui percussioni suæ consentit, impunè percuti, docuerunt nonnulli, quos refert, & sequitur Barbofa in præfenti, quia talis percussio nequit dici violenta, juxta

ta verba canonis *si quis suadente* 17. *quest. 4.* sed re-
 citius contrarium in præfenti deciditur, nam est
 non sit violenta talis manuum injectio, est tamen
 injuriosa, quia nequit ita offensus privilegio cle-
 ricalis ordinis renunciare, vel eam injuriæ pe-
 nam à jure expressam remittere, ut docuerunt Say-
 rus *de censur. lib. 3. cap. 26. num. 18.* Suarez *cod. tract.*
disput. 22. sect. 1. num. 58. Molina *de just. tract. 3.*
disput. 51. num. 3. Layman, Castropalao, & alii,
 quos refert & sequitur Gibalinus in *synod. fol. 463.*
 Quæ sententia facilè probatur ex eo, nam si cle-
 ricus, qui se ipsum vulneravit, aut sui cadem, vul-
 nusque alii consuluit, aut præcepit, incidit in
 hanc canonis excommunicationem, juxta com-
 mune sententiam, multò magis qui clerico con-
 sentienti manus injectit.

CAPVT XXXVII.

Idem ^a *London. Episcopo.*

Relatum est nobis, quod cum aliqui servi tuæ Provinciæ propter injectionem ma-
 num in clericum violentam in canonem incidunt sententiæ promulgatæ, allegan-
 tibus dominis eorumdem, quod carere mancipiis suis nolunt, venire ad Sedem
 Apost. absolventi non curant, per occasionem hujusmodi eludentes ecclesiasticam disci-
 plinam. Quocirca disc. v. per Ap. s. m. quat. eos venire compellas ad Sed. Ap. absolven-
 dos, cum plus sit Deo quam homini deferendum, nisi fecerint hoc in fraudem, ut sub-
 trahant se ab obsequio dominorum, aut ipsi propter hoc sine culpa sua incurrerent gra-
 ve ^b damnum: & in utroque casu poteris eos ex indulgentia nostræ permissionis absol-
 vere cum nimis sint ab Ap. Sed. remoti: sed in recompensationem laboris, quem in itinere
 sustinerent, aliam eis satisfactionem injungas, dummodò non sit tam gravis, & enormis
 excessus, ut propter vitandum scandalum, & tollendum exemplum hujusmodi serviam
 servorum venire debeant absolventi.

NOTÆ.

1. **L** *London.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 11.* in hac sexta legitur
Lugdun. sed parum interest quamlibet ex eis retineas inscriptionem.

^b *Grave damnum.*] Consonat textus in *cap. mulieres*, ibi: *Qui existant in potestate alterius, hoc tit. & docent Bonacina de censur. dict. quest. 4. punct. 5. num. 3.* Molina *de justitia tract. 3. disp. 64. num. 2.* Barbofa *de potestat. Episcop. allegat. 41. num. 29.*

CAPUT XXXVIII.

Idem ^a *Strigoniensi Archiepiscopo.*

Sacris est canonibus institutum. *Et infra:* Licet autem is, qui voluntarius excommu-
 nicatis communicaverat, qui cum omnibus fautoribus suis, & participibus excom-
 municationis sententiæ sint astricti, ad cor postmodum rediens, de mandato Ecclesiæ
 illos, quos fovet, expugnaret; non tamen prius, quam absolutionis gratiam perceperit,
 habendus est absolutus. nec si occumbat in bello, oblationes sunt recipiendæ pro
 eo, vel orationes Domino porrigendæ: nisi cum de ipsius viventis penitentia per evi-
 dentia signa constiterit, juxta cujusdam ^b constitutionis nostræ tenorem, defuncto etiam
 absolutionis beneficium impendatur.

NOTÆ.

1. ^a **S** *Strigoniensi.*] In tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 12.* legitur *Indrosensis*; sed ubique malè, veram enim hujus textus inscriptionem dedi in *c. sacris, de his qua vi*, ubi extat prior pars hujus Decretalis.
2. ^b *Constitutionis.*] Relatæ suprâ in *c. à nobis*,

& *lib. 6. regestr. 16. epist. 49.* ubi Abbatibus de Re-
 floris, & Palmi ita Innocentius scribit: (Oblata à
 nobis M. muliexis petitio continebat, quod cum
 olim S. frater suus unâ cum quibusdam aliis morti
 cujusdam inreruisset presbyteri, diabolo sua-
 dente, tandem reversus ad cor, humiliter suum
 recognovit excessum, & paratus ut iter acciperet
 ad Sed. Apostolicam veniendi, præveniente mor-
 tis

is articulo, exequi non potuit quod intendit: juramento tamen promiserat, quod nostris staret super excessu sæpedito mandatis. Unde nobis dicta mulier supplicavit, ut eum illum non religionis contemptus, sed necessitatis articulus impediatur, quominus ad Sedem accesserit Apostolicam absolvens, super absolutione, ac sepultura ipsius dignaremur misericorditer providere. Quia vero, sicut in contumacia persistentibus rigidus esse nos convenit; sic humilitatis ad pœnitentiam negare gratiam Ecclesiæ non debemus: discretionem vestræ per Apostolica scripta mandamus, quate-

nus si prædictus S. dum adhuc viveret, satisfactionem condignam promisit, vel sufficiens de satisfactione mandatum, & aliàs manifesta in eo pœnitentiæ indicia præcesserunt, cum Psalmo pœnitentia, oratione Dominica, & aliis consuetis, de functo absolutionis beneficium impendatis, tradi facientes corpus ejusdem ecclesiasticæ sepulturæ, dummodo contra terræ consuetudinem ex hoc grave non debeat scandalum generari. Quod si non omnes, &c. Duo vestræ, &c. Vos denique filii Abbates, &c. Datum Lateran. III. Idus Maii, Pont. nostri anno xvi.]

CAPUT XXXIX.

Idem ^a *Assinensi* Episcopo.

Sicut nobis tuis literis intimasti, cum aliquos tuæ diœc. clericos, vel laicos culpis suis exigentibus excommunicationi supponis, ipsi postmodum ad te nullâ satisfactione præmissâ sine testimonialibus literis redeuntes, dicunt se absolutionis beneficium recepisse, quibus si credi debeat in hac parte, per nos instrui suppliciter postulasti, cum propter causam hujusmodi, sicut dicis, tuæ sententiæ à subditis contemnuntur. Nolentes igitur hominum malitiis indulgeri, f. t. t. respondemus, quod nisi excommunicati à te super absolutione sua ^b literas, vel illius, cui vices nostras in hac parte commissimus, reportarint, aut alio modo legitime de illorum absolutione tibi constiterit, tu de eorum absolutione fide non habitâ, ipsos pro excommunicatis, ut prius habeas, & facias evitari. Datum Later. 2. idus Aug.

NOTÆ.

Ughellius tom. 2. Ital. sacra. fol. 540. Sed legendum est ut in margine emendatur, *Assinensi*, seu *Assinensi*, de qua Ecclesiâ nonnulla adduxi in cap. 16. de offic. Ordin.

^b *Literas.*) Veras, & non per obreptionem impetratas, ut probavi in cap. super eo, de cohabit. cleric.

I. ^a *Assinensi.*] Ita legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 13, & in epistolis Innoc. III. lib. 2. epist. 157. ex quo registro textum hunc restituo. In præsentem scribit Innocentius Vidoni Episcopo Assinensi, de quo & de ipsa Ecclesiâ agit

CAPUT XL.

Idem ^a *Senonensi* Archiepiscopo.

PER tuas nobis literas intimasti, quod cum ven. f. n. ^b Altissiodoren. Episcopus in Altissiodorensem Archipresbyterum excommunicationis sententiam promulgasset, Archipresbyter se tuo conspectui præsentavit, & quod staret mandato Ecclesiæ sufficientem obtulit cautionem, petens humiliter, ut ei absolutionis beneficium exhiberes: tu verò volens Episcopo mem. deferre, ipsum sæpius monuisti ut absolveret Archipresbyterum memoratum: sed quia monitis non parebat, excommunicatum absolvere curavisti, quem Episcopus pro absoluto non habet, utpotè qui proponit, quod ad te illius absolutio non spectabat. Unde quæris, quid in similibus sit agendum? videtur enim aliquibus, quod cum ad Metropolitanum per appellationem quæstio non defertur, excommunicatus autem vocem non ^c habeat appellandi, utpote ab Ecclesiâ separatus, sive appellaverit, sive non, Metropolitanus ei non debet absolutionis beneficium exhibere. Verum ex verbis cujusdam epistolæ, quam dicunt Scholastici ^d decretalem, & à bonæ memoriæ Alex. Pap. prædecessore emanasse proponunt, habetur, quod si ante appellationem in aliquem excommunicationis sententia fuerit promulgata, Metropolitanus ante litis ingressum, ab eo juramento recepto, secundum Ecclesiæ consuetudinem debet ipsum absolvere, nisi voluerit Episcopo diœces. deferre, ipsumque ad eum remittere absolvens: ubi etiam consequenter inferitur, quid quia excommunicati audiendi non sunt prius, quam fuerint absoluti, nec sunt ad illos, à quibus appellaverant, remittendi. In ^e Sardicensi autem Concilio reperitur, ut is, qui ab Episcopo est abjectus, finitimos Episcopos interpellat, & causa ejus

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Ecc

audiatur,

audiatur, & diligentius pertractetur. Episcopus autem, qui iuste vel iniuste abiecit, eundem patienter accipiat, ut discutatur negotium, quatenus vel probetur ejus a pluribus sententia, vel etiam emendetur: prius tamen, quam omnia diligenter, ac fideliter examinata fuerint, nullus ante cognitionem communioni eum sociare presumat, qui fuerat communionem privatus. Nos igitur credimus distinguendum, utrum proponat, se post appellationem legitime interpositam excommunicatione notatum, vel in forma excommunicationis intolerabilem errorem fuisse patenter expressum; in quibus casibus ad probationem eorum, etiamsi absolutionem non petat, debet admitti: sed donec de ipsis constiterit, in aliis evitari, quamquam Ap. Sed. etiam tales consueverit absolvi ad cautelam. Verum in aliis, nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam ecclesiasticam contemnere videatur, & propter hoc amplius in suo contemptu ligetur. Quod si beneficium absolutionis humiliter postulaverit, Metropolitanus eum debet absolvere, nisi suo duxerit suffraganeo deferendum. Cui tamen si suffraganeus absolutionis beneficium juxta formam Ecclesie noluerit exhibere, ipse nihilominus ipsum absolvat, cautione recepta, quod suo debeat parere mandato, ac deinde causam audiat; & quod canonicum fuerit, justitia mediante decernat. Quod si forsitan Episcopus subditum suum propter manifestum excommunicasset excessum, Metropolitanus non debet ipsum absolvere, nisi suffraganeus requisitus malitiose sibi absolutionis beneficium denegaret.

NOTÆ.

^a *Senonensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 14. De Senonensi Metropoli jam nonnulla adduxi in cap. 6. de consuet. c. 1. de postulat. Pralar.

^b *Alisidorensi.*) Qui est Suffraganeus Archiepiscopus, de cujus diocesi nonnulla adduxi in cap. 14. de prescript.

^c *Non habeat appellandi.*) Quod diversum est quando excommunicatus appellare intendit in alia causa, quam in ea, pro qua fuit excommunicatus, ut probat Balboa in cap. dilecti 10. de except.

^d *Decretalem.*] Relatum in cap. questum, de offic. ordin.

^e *Sardicense.*) Canon. 17. relato in cap. si forte 11. quest. 3.

COMMENTARIUM.

I. **E**X hoc textu sequens communiter venit; disputanda assertio: Archiepiscopus potest absolvere subditum suffraganei sui ad eum appellantem, non alias. Probat eam textus in cap. Romana, cap. venerabilibus, hoc tit. in 6. cap. Romana, de penis, eodem libr. cap. 1. de foro compet. eodem libr. cap. pastoralis, cap. duo, de offic. ordin. cap. servetur 11. qu. 3. Faciunt textus in cap. conquisitus, cum aliis, 9. qu. 2. Concilium Sardic. canon. 13. Nicæn. can. 3. Illiberit. canon. 53. CæsarAugust. can. 5. Frisingen. anno 1440. habitum canon. 25. & alii sacri canones, quos refert Anton. August. in epitom. libr. 37. tit. 82. Petrus Gregorius libr. 4. partit. tit. 16. cap. 7. Cæsar de Eccles. Hierarch. disput. 5. §. 2. Filescus in cap. ad reprimendam 8. de Offic. ordin. Morinus lib. 2. exercit. cap. 28. Barbosa de potestat. Episc. alleg. 126. per totum. Martha de jurisdic. 3. part. cap. 12. §. 14. Balboa in cap. 1. de foro compet. Alteserra in presenti.

2. **I**mpugnatur tradita assertio. Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam Archiepiscopus totius provincie sue moderator est, & iudex ordinarius, c. in apibus 7. quest. 1. adeo ut omnes clerici proponere possint omnes querelas coram ipso, cap. quia cognovimus 10. quest. 3. unde totius Metropolis curam, & sollicitudinem ad Archiepiscopum

pertinere, docetur in cap. per singulas, 9. quest. 3. Igitur si iudex ordinarius est, poterit absolvere subditos suffraganeorum ab eis excommunicatos. Difficilis est etiam præfens assertio dum in ea docetur, Archiepiscopum, ad quem appellatio interposita est, posse excommunicatos absolvere; nam excommunicatio ab homine prolata ab ipso debet relaxari, cap. nuper, hoc tit. probavi latè in cap. 8. de offic. Ordin. & in eo loco, ubi quis à communione exclusus est, illi reconciliari debet. Concilium Arelat. 1. Can. 16. Ergo Archiepiscopus, qui sententiam excommunicationis non protulit, non potest eam relaxare. Accedit, nam juxta veterem Ecclesie disciplinam desideratur, ut in ea Ecclesia, ubi quis ab Episcopo ejectus fuit, ibi reconcilietur, & iterum admittatur. Concilium Sardic. Can. 16. ergo cum Episcopus à propria Ecclesia subditum eiecit, non potest Archiepiscopus eum in sua Ecclesia reconciliare, & recipere.

3. **A**d huc tamen defendenda est præfens assertio, De ab- pro cuius expositione sciendum est, in præfenti casu novum jus statui circa absolutionem excommunicato impertientiam à superiore illius, qui excommunicationem protulit; nam juxta veteres Ecclesie canones nulli concedebatur absolutio ante litem in Synodo, vel coram superiore iudicatum. Concil. Nicæn. can. 5. ibi: De his qui à communione segregati sunt, sive clericorum, sive laicorum sint ordinis, ab Episcopis, qui sunt in unaquaque provincia, valeat sententia secundum canonem, qui pronuntiat eos, qui ab aliis eiectioni sunt, non esse ab aliis admittendos. Examinetur autem nunquid, vel simulate, vel contentione, vel aliqua ejusmodi Episcopi acerbitate à congregatione pulsati sint. Antiochenum can. 12. Si quis à proprio Episcopo fuit excommunicatus, ne prius ab aliis suscipiatur, quam fuerit à proprio Episcopo susceptus, vel saltem Synodo accedens se defenderit, & persuasus à Synodo aliam sententiam retulerit. Idem autem decretum ad- versus laicos, presbyteros, & diaconos. Et qui sunt in Cleri catalogo observentur. Sardicense can. 17. ibi: Tamen prius quam omnia diligenter, & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione separatus, ante cognitionem nullus debet presumere, ut communioni societ. Citatur à Grat. in c. Episc. 11. q. 3. Sed in præ- senti

fenti Innocentius III. circa hanc absolutionem duplicem considerat excommunicationem; vel enim est manifestè iusta, vel manifestè iniusta, vel dubia, vel præterditur nulla. Si sententia est manifestè iusta, ut lata propter manifestum excessum, Archiepiscopus per appellationem aditus excommunicatum, nisi facti illumponeat, & satisfaciatur, absolvere nequit. Si manifestè iniusta sit, quia post appellationem, vel cum errore intolerabili sit prolata, mox excommunicatus erit absolvendus. Si dubia est, quod accidit, ut præterditur, plerumque antequam absolutionem reus imploret, defensionis locus ei negatur: quæ absolutio ante causæ cognitionem ad cautelam, & sub conditione ei concedi debet, præstita cautione de parendo mandatis Ecclesiæ. Si tandem sententiam nullam esse excommunicatus conqueratur, licet illi aut absolutionem petere, aut eam non petita causam nullitatis agere: si petat absolutionem ad cautelam, illi concedenda est; si non petat, sed sententiam nullam esse probaturum profiteatur, illi causam hanc prosequi licet, in aliis autem minimè audietur. Unde apparet ante cognitionem novo iure ferè semper absolutionem excommunicato appellanti esse concedendam: quod etiam cavetur in cap. sacro, §. caveant, hoc tit. cap. venerabilibus, §. sanè hoc tit. in 6. diligentius tamen antiquos canones perscrutanti, hoc absolutionis genus non omnino inutilitatum constabit: ab eo enim propè abest absolutio à Domino Antiocheno Patriarcha quibusdam presbyteris concessa, quæ refertur actione 10. Concilii Chalcedon. inter acta Concilii Berit. ibi: *Propter festivitatem illos ab excommunicatione absolutis; sub ea tamen definitione, ut Antiochià non excederent, donec sententiam causâ perciperet: si autem exirent antiquam sinem causâ perciperet, majori pœna essent damnationis obnoxii.* Facit textus ad idem in can. 3. Concilii Agath. in illis verbis: *Episcopi si sacerdotali moderatione postposita innocentes, aut minimis causis culpabiles excommunicare præsumserint, aut ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, à vicinis Episcopis cuiuslibet provincie literis moneantur; si parere noluerint, communicatio illis usque ad tempus Synodi à reliquis Episcopis non denegetur, ne forte propter excommunicatoris peccatum excommunicati longo tempore morte præveniuntur.* Et si sententia evidenter iniqua erat, etiam iuxta antiquos canones, nec excommunicatus, nec alii illi deferebant, cap. cui illata 11. quæst. 3. Concil. Sardin. can. 17. *Si quis Episcopus vim passus iniuste eiectionis sit, vel propter scientiam, vel propter catholica Ecclesiæ confessionem, &c. effugiens periculum innocens execrationi subiectus in aliam urbem venerit, ne prohibeatur illic tamdiu agere, donec revertatur, vel à facta sibi injuria possit liberationem invenire. Durum enim est, atque adeo gravissimum, eum qui iniustam eiectionem passus est, à nobis non suscipi.*

4. Traditur ratio præsentis assertionis ex eo provenit, nam cum excommunicatus ab uno Prælato, ab alio suscipi non debeat, ut latè probavi in cap. 8. de offic. ordin. ut ita servetur cuique sua iurisdicção illibata, & ab eo quisque communionem accipiat, à quo privatus fuerat, cap. servetur 11. quæst. 3. & Archiepiscopus nullam habeat iurisdicçãoem in subditos suffraganeorum, nisi in casibus relatis in cap. pastoralis, de offic. ordin. ideo excommunicatos à propriis suffraganeis Archiepiscopus absolvere nequit, quia

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

excommunicatus absolvi debet à proprio iudice, cap. cum ad Ecclesiarum, de offic. Ordin. Si autem ipse excommunicatus à proprio Episcopo ad Archiepiscopum appellaverit, quia in hac secunda instantia Archiepiscopus iurisdicçãoem in subditos suffraganeorum exercet, rectè poterit excommunicatum à suffraganeo absolvere causâ cognitâ, iuxta distinctionem supra relata, etiam si absolutio talis censura Pontifici esset reservata. Marini lib. 1. resol. cap. 17.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa, nam licet Archiepiscopus sit iudex ordinarius in tota sua provincia, id tamen procedit in rebus pertinentibus ad generale provincie regimen, & ut ad illum appellari valeat, non verò respectu subditorum suffraganeorum, cap. scitote 6. quæst. 3. cap. peregrina 3. quæst. 6. Unde subditos suffraganei sui in prima instantia iudicare nequit, dist. cap. duo: & quia qui potest aliquem ordinare, potest & eum iudicare, cap. nullus, de parochiis; & quia Archiepiscopus non potest subditos suffraganeorum iudicare, ideo nec ad ordines promovere valet, cap. 1. de offic. ordin. in 6. Nec obstat difficultas alia, nam procedit quando à sententia excommunicationis appellatum non est, quia tunc ab eodem iudice debet quis absolvi, à quo excommunicatus fuit, iuxta tradita in dist. cap. 8. de offic. ordin. at verò cum appellatum est, quia per appellationem causâ devolutâ ad superiorem ipse plenam iurisdicçãoem habet, ideo tunc excommunicatum à suffraganeo absolvere valet.

Sed supra traditis obstat videtur textus in cap. ad reprimendam 8. de offic. Ordin. ubi refertur, Lexoviensem Episcopum conquestum fuisse coram Innocentio III. eo quod à se excommunicatos Archiepiscopus Rhotomagensis, & alii comprovinciales absolvebant: & decrevit Innocentius, ne deinceps à Lexoviensi Episcopo excommunicatos ceteri Episcopi recipiant ad communionem; Archiepiscopus verò excommunicatos coram se conquestos de iniustitia excommunicationis absolvat, vel absolvendos remittat ipsi Episcopo; qui si eos ad communionem recipere renuat, simili pœna afficiatur. Ex quo textu apparet, Archiepiscopum nullâ præmissâ appellatione posse absolvere excommunicatos à suffraganeo. Pro cuius difficultatis solutione Glossa, & antiquiores repetentes in cap. pastoralis, de offic. ordin. asserunt Archiepiscopum posse supplere negligentiam suffraganei in absolutione impertienda excommunicato, & ita procedere textum in dist. cap. 8. Sed licet hæc sententia vera sit, quam latè probat Barbosa alleg. 126. per tot. tamen non adaptatur decisioni textus in d. cap. ad reprimendam. Quare eâ omisâ, pro vera expositione ipsius textus ditcrimen constituendum est inter eum casum, in quo de iniustitia excommunicationis agitur inter subditum suffraganei, & ipsum suffraganeum Episcopum, qui ex officio, & non ad partis petitionem ipsum excommunicavit; & inter eum casum, in quo causâ iniustitiæ excommunicationis vertitur inter subditos suffraganei, inter quos his agitur, cuius causâ excommunicatio prolata est. Primo casu Archiepiscopus cognoscere potest, etiam per modum querelæ de iustitia excommunicationis, sive per simplicem querelam, sive per appellationem, c. per singulas 9. q. 3. c. sacro, hoc tit. quo casu procedit textus in d. c. ad reprimendam. Secundo verò casu ullo modo Metropolitanus, nisi mediante appellatione, excommunicatum à suffraganeo

absolvere nequit, quia inter subditos suffraganeorum, nisi per viam appellationis Archiepiscopus cognoscere nequit, *dist. cap. duo simul, cap. pastoralis, de offic. ordin.* Docent Cæsar de *eccles. hierarch. disput. 5. §. 2.* Barbosa *dist. alleg. 126. num. 22.* Sed adhuc manet non levis difficultas in eo, quod docetur in eodem textu, Archiepiscopum debere ipsum excommunicatum remittere Episcopo, ut ab eo absolvatur, præcipue cum eo casu excommunicatum absolvendum esse ab ipso Archiepiscopo expressè doceatur in *cap. venerabilibus, §. sanè, de offic. ordin. lib. 6.* Sed ut hunc etiam scrupulum amoveamus, tres casus distinguendi sunt. Primus est, cum excommunicatio ipsa ex tenore processus iusta apparet; tunc enim Archiepiscopus tenetur ipsum excommunicatum remittere Episcopo excommunicanti, ut ab eo absolvatur, nec ipsum absolvere valet, cum injuria fieret excommunicatori, si iustè ab eo excommunicatus per alium absolveretur, contra textum in *cap. servetur 11. quæst. 3. cap. cum contingat, de offic. deleg.* Secundus casus est, cum excommunicatio iniusta apparet, quo casu Archiepiscopus excommunicatum absolvere valet, quia nulla fit injuria excommunicatori, cum ipsa excommunicatio manifestam contineat iniustitiam. Tertius casus contin-

git, cum adhuc dubitatur, nec apparet, iusta, an iniusta sit excommunicatio: quo casu potest Archiepiscopus eum absolvere, sed ex honestate debet eum remittere proprio Episcopo, ut ab eo absolvatur, *dist. §. sanè*; quo casu procedit textus in *dist. cap. ad reprimendam*; ubi quia non constabat adhuc de iniustitia excommunicationis, ideo docetur Archiepiscopum Rhotomagensem posse absolvere excommunicatos à Lexoviensi Episcopo, aut eos illi remittere absolvendos. Etiam juxta prædictum casum, in quo subditus suffraganei conqueritur de iniustitia excommunicationis prolata ab Episcopo ex officio, accipiendus est textus in *can. 9. Concil. Vernensis*, ibi: *Si quis ab Episcopo suo degradatus fuerit, & ipse per contemptum postea aliquid de suo officio sine commatu facere presumpserit, & postea ab Episcopo suo corruptus & excommunicatus fuerit, quicumque cum ipso communicaverit scienter, sciat se esse excommunicatum. Quod si aliquis reclamaverit, quod iniustè sit excommunicatus, licentiam habet ad Metropolitanum Episcopum venire, & ab eodem secundum canonicam institutionem dijudicetur: interim suam excommunicationem custodiat. Quem canonem exponit Filescus in *dist. cap. 8. de offic. ordin.**

CAPUT XLI.

Idem ^a *Universis Christi fidelibus per Lombardiam constitutis.*

SI aliquando fortè contingat, quod ab eis, qui auctoritate Apostolica sunt excommunicationi subjecti, nostræ literæ cum salutationis alloquio obtineantur, non propter hoc excommunicationis credatur sententia relaxata, cum per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam per subreptionem contingat hujusmodi literas impetrari; sicut in ^b Placentinis nuper dicitur contigisse, qui cum sint propter iniquitatem, quam in Deum, & ejus Ecclesiam commiserunt, excommunicationis vinculo innodati, se quasi absolutos per hujusmodi literas, quas eis pro Templariis misisse dicimur, gloriantur: quamvis non simus memores talium literarum, cum etsi eis jam excommunicatis exhibitæ fuerint, forsan tamen prius fuerant impetratæ. Quocirca universitati vestræ per A. f. m. quat. eos sicut excommunicatos arctius evitetis, donec à suo respiciant errore. In similibus, si quando fortè contigerit, simile iudicium observare.

NOTÆ.

I. ^a *Universis.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub tit. de rescript. cap. 2.* ex qua literam hujus textus restituo.

^b *Placentin.*] Jam enim per annos 1199. temporibus Innocentii III. Grumerus Episcopus Placentinus factiosos hæreticos Placentinos excommunicaverat: & cum adversus eorum impietatem decertans non potuisset eos ad viam veritatis reducere, cum Clero Placentiâ excessit, Cremonamque profectus est, posteaque Innocentius III. Placentinos sæpe sæpius monitos diris censuris involvit, atque Episcopali Cathedrâ privavit die 9. Octobris, anno 1206. ut refert Vghel. *tom. 2. Ital. sacra, fol. 277.* Unde de his literis monitoriis ad Placentinos scriptis agit Innocent. *in præsentis.*

COMMENTARIUM.

EXcommunicatus non solum verbis potest absolvi solennibus, verum & factis, quibus gratiam, & indulgentiam illi facere Prælatum, qui eum absolvere valet, cognoscatur; veluti si Episcopus ab eo excommunicatum postea ad divina officia admitrat, ut Innocentius III. relucit *lib. 2. registr. ibi: Cæterum interrogatus in iudicio coram nobis procurator Gurcen. Episcopi, virum pro excommunicato idem Episcopus se haberet, respondit, quod reverà Salzeburgen. Archiepiscopus excommunicavit Episcopum, & Capitulum 4. feria, & post tertiam, vel quartam diem dedit ipsi licentiam audiendi divina, & ut divinis officiis interesset; quia ipse propter debilitatem manus celebrare non potest, & ex tunc diring libi fecit officia celebrari, & exercuit ea, qua consueverat exercere. Nos autem interloquendo respondimus, quod si res taliter se haberet. Episcopus idem pro absoluto esset habendus. Tria autem potissima signa sunt indulgentiæ, & reconciliationis erga*

erga benemerentes. Primum si à Principe admittantur ad adorationem: secundum, si ad osculum: tertium si cum benedictione, aut salutatione Pontifex illis scribat. De primo indulgentiæ symbolo extat prophanum testimonium Ammiani Marcel. *lib. 15.* ubi de Urficino per admissionem ad purpuræ adorationem reconciliato ita scribit: *Perstringebatur Urficini mentio, ut consiliis rei bellicæ præstantissimi frustra que gravi injuriæ laçessit. Et per admissionem Magistrum, qui mos est honoratior, accito eodem ingressu, consistorium offerretur purpuræ multo quam antea placidius, atque ita ante Principis pedes supplices stauerunt.* Cujus adorationis purpuræ mentio extat in *l. 1. Cod. de Comibus & Tribun. lib. 12. l. 4. Cod. de Consul. l. 1. Cod. de præpos. sacr. cubic. l. 1. Cod. de domestic. & protect. l. 1. Cod. de silent. l. si quis servum 7. Cod. qui militare. l. final. Cod. de Palatin. sacrar. largit. l. 2. Cod. de privil. scholar. l. 1. Cod. de apparit. Præf. Prator. l. 1. Cod. de apparit. Præf. Trib. lib. 12. l. restrinende 6. vers. Ad hæc; Cod. de advocat. divers. judic. l. 2. Cod. de Fabric. lib. 11. plura de ea congesserunt relati à Solorzano de honorariis Senator. num. 316. Lipsius lib. 2. elect. cap. 6. Durantius Casel. lib. 2. var. cap. 16. Salmalius in notis ad histor. August. pag. 319. & 440. Demsterus ad Rosinum lib. 3. antiquit. cap. ult. Salmur. ad Pancirol. 1. part. memorab. tit. 46. Grethferus lib. 1. de cruce, cap. 53. Novarinus 1. tom. elect. sacr. lib. 2. cap. 70. P. Pintus in spicileg. sacr. tom. 1. cap. 40. Illustr. Ramos pro Episcop. Lusit. propof. 2. ad fin. num. 90. Unde Legati Principum cum admittendi sunt ad adorationem pedum*

Pontificis, prius absolvuntur pro tempore legationis, ne ex ipsa admissione absoluti in perpetuum maneat, ut refert Panonitanus in præenti. num. 5. ibi: *Et ideo Papa servat, quod cum adsumt excommunicati Ambassiatores, facit eos prius absolvi. Et explicat à ambassiatæ, reducit eos in pristina excommunicationem.* De absolutione per admissionem ad osculum extat textus disertus in cap. cum olim 12. de privil. ibi: *Tò, licet excommunicatus ab Eugubienf. Episcopo dicaris, tanquam non ligatum admisit ad osculum.* Ubi notavi, & plura de osculo pietatis, & charitatis adduxi in cap. pro illorum. de præbend. Tandem absolutio contingit per benedictionem cum salutatione in litetis excommunicatis missis, cujus formulæ initium illustrat Ferrarius lib. 3. de epistol. Eccles. cap. 2. Unde cum Pontifex absolvere non vult excommunicatum, adjicit eam clausulam, sine salutatione. Innocentius III. lib. 2. epist. 28. ibi: *Potestati, & populis Tarvisinis sine salutatione.* Notavit Cironius lib. 2. obs. cap. 14. & illustrat Dominus Ramos ubi supra, num. 93. Unde si scienter Pontifex in præenti excommunicato scriberet cum salutatione, absolutus crederetur; sed quia per obreptionem clausula illa adjecta credebatur, ideo ait Innocentius, eum absolutum non credi. Sed quia plerunque dubitabatur, an scienter, vel ignoranter Pontifex cum excommunicato communicans, illum absolvere intenderet, ideo statutum fuit in Clement. 1. hoc tit. ut etiam si scienter Pontifex cum excommunicato communicaverit, non ideo eum absolvisse credatur.

CAPUT XLII.

Idem C. S. a Laurentii in Lucina Presbytero Cardinali, Apost. Sed. Legato.

Officii, Et infra: Postremò quaesivisti, utrum is, qui propter plures excessus à pluribus Prælati jus in ipsum habentibus, excommunicationis est vinculo innotatus, & uni Prælatorum de uno tantum satisfacere vult excessu, ab eo sit absolvendus, de quo satisfacere vult eidem; & cum de aliquo non satisfecerit, ab aliis absolutus valeat nunciari. Quia verò super hoc inter scholasticos diversæ sunt sententiæ diversorum, nos ad præsens nulli præjudicare volentes, id solummodo tibi super hoc articulo respondemus, quod supprimenti veritatem absolutio subrepta non prodest; & veritatem intelligens, absolutionem hujusmodi exhibere non debet.

NOTÆ.

^a **S**ancti Laurentij.] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 15. & in c. officij, de elect. ubi alias partes hujus Decretalis congeffi.

^b **A pluribus Prælati.**] Posse quem iterum, atque iterum excommunicari, & tunc variis egere absolutionibus, probavi supra in c. cum pro causa.

^c **Subrepta.**] Probavi supra in cap. cum pro causa, & in cap. super eo, de cohabit. cleric.

CAPUT XLIII.

Idem ^a Ferrariensi Episcopo.

Responso nostro postulas edoceri, cum Ferrariens. cives excommunicationis, & interdicti sententiis sint ligati, an liceat tibi viros, & mulieres simul in hebdomada, vel in mense apud aliquam Ecclesiam convocare, quibus prædices verbum Dei, & eisdem ad correctionem inducas. Super quo f. tuæ. respondemus, quod sine D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Lee 3

scrupulo

scrupulo conscientia hoc facere poteris, cum videris expedire, dummodo contra formam interdicti nullum eis divinum officium celebretur. Præterea quasivisti, cum Ferrariensis civitas interdicto sit, & excommunicationis supposita: & ideo sint ibidem præter baptismum parvulorum, & penitentiam morientium, universa sacramenta ecclesiastica interdicta, an liceat tibi baptizatos pueros in frontibus consignare. Super quo tibi taliter duxionem in frontibus a te possunt sacro chrismate deliniri.

NOTÆ.

I. ^a Ferrariensis.] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 16. Hugoni videlicet, qui floruit in Ecclesia ex anno 1196. usque ad annum 1212. ut refert Ughel. tom. 2. Italia sacra, fol. 576.

2. ^b Poteris.] Rectè, nam & olim nemo submovebatur ab Ecclesia tempore concionis, immò omnes admittebantur, tam catechumeni, & hæretici, quam Gentiles & Iudæi: Concil. Carthag. 4. can. 84. ibi: Ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive hæreticum sive Iudæum, usque ad Missam catechumenorum. De catechumenis extat dilectus locus Tertulliani lib. 1. de prescript. advers. hæretic. cap. 41. ibi: Quis catechumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adveniunt, pariter audiunt. D. Augustinus serm. 116. de tempore, ibi: Hodie fratres charissimi specialiter ad competentes humilitatis nostra sermo dirigitur: & quamvis omnibus etiam fidelibus baptizatis admonitio nostra conveniat, peculiariter tamen eos, qui nunc baptismi sacramenta desiderant, volumus admonere. De hæreticis constat ex Possidonio in vita D. Augusti, ibi: Libros ejusdem, sive tractatus mirabili Dei gratia procedentes instructos omni rationis copia, atque auctoritate sanctarum Scripturarum, ipsi quoque hæretici concurrentes cum Catholicis ingenti ardore audiebant. De Gentilibus, & Iudæis constat ex dicto canone 24. Concilij Carthag. & ex Concilio Valentino Hispania can. 1. ibi: Antiquos canones relegentes censuimus observandum, ut sacrosancta Evangelia ante munerum illationem in Missa catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Iesu Christi, vel sermones sacerdotis, non solum fideles sed etiam catechumeni, & penitentes, & omnes, qui è diverso sunt, audire licitum habeant. Gregorius Nysenus orat. de Sancto. baptisate. D. Augustin. homil. 49. ibi: Audite charissimi, membra Christi, & Matris Catholica filij: quod dico competentibus, audiant fideles, audiant & penitentes, audiant cate-

chumeni, audiant, & omnes timeant, illustrant Ferrar. lib. 2. de ritu concion. cap. 13. Lantdmeter lib. 2. de veteri mon. cap. 67. Albaspinus lib. 2. obs. cap. 29. Morinus lib. 2. exercit. cap. 27. Gibalin. de censur. disquisit. 7. quest. 5. qui rectè docent, quod licet excommunicati possint adesse in Ecclesia, dum prædicatur verbum Dei, tamen ipse excommunicatus per se prædicare non valet, quia tunc daretur communicatio fidelium cum excommunicato. Nec interest, quod in principio concionis recitari solet saluatio Angelica, atque ita si excommunicati adint in Ecclesia, videtur dari cum eis communicatio. Nam rectè respondet Avila de censur. 2. part. cap. 6. diff. ut. 11. dub. 3. conclus. 6. has preces privatas esse, quæ etiam pro salute excommunicati, & coram illo recitari possunt, sicut Evangelium, aut Psalmi in eundem finem dici valent. Gibalinus ubi sup. Navarus in Manuali. cap. 27. n. 36. Ad divina autem officia audienda omnino ingressus Ecclesie excommunicatis denegatur, Tertul. de pudic. c. 4. Non modo limine, verum omni Ecclesie textu submovemus. D. Ildorus relatus in cap. 125. diff. Concil. Vernense, de quo in cap. 1. vers. hostiarum, 21. diff. Clement. 2. vers. Nonnulli, de sent. excom. D. Thomas in 4. diff. 18. quest. 6. art. 1. Illustrant Morinus lib. 2. exercit. cap. 27. Illustrat. Don Franciscus Ramos in syntag. pro Episcop. Lusitan. propof. 3. num. 94. & plura de prohibita communicatio cum excommunicatis in Ecclesia, & divinis officiis, congesti in cap. sacris, de his que vi.

3. ^c Excommunicationi.] Propter bellum civile, quia favebant Othoni Imperatori; nam his temporibus Innocentij anno 1209. Azo Marchio Salinquerani Ferrariæ Prætorum cum valida Ferrariensium exulium manu Ferrariâ expulsi: sed Otho Imperator Romæ coronatus discedens Ferrariæ Hugonem Guarinosum Vicarium constituit: ut refert Bolquetus ad Innocentium lib. 2. regest. 14. epist. 74. Unde quia Ferrarienses favebant ipsi Othoni Ecclesie hosti, excommunicati fuerunt. ^d Deliniri.] Quænam sacramenta tempore interdicti licet administrari possint, iam exposui in cap. quod in te, de penit. & remiss.

CAPUT XLIV.

^a Idem.

Inquisitioni tuæ breviter respondeo. Credimus distinguendum, utrum alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine mortali peccato non possunt carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit; an impedimentum hujusmodi non sciat pro certo, sed credat; in quo utique casu debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo verò casu distinguimus, utrum habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi, & temeraria; an probabilis, & discreta; siquidem ad sui Pastoris consilium conscientia levis, & temeraria credulitatis explosa, licet potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale.

jugale. Verùm cum conscientia pulsata animus ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra iudicium conscientie committat offensam. Tu ergo juxta responsionem præscriptam super illo procedas articulo, de quo nos consulere voluisti,

NOTÆ.

^a *Idem.*] Ita etiam legitur in tertia collectio-
ne, sub hoc tit. cap. 17. sed nullibi exprimitur cui
Prælato rescribat Innocentius, nec inter ejus

epistolas editas à Sirleto, & Bosqueto reperitur
textus hic: illum tamen exposui in cap. literas, de
restit. spol. cap. Dominus, de secund. nupt. & viden-
dus est Thomas Delbene tract. 2. oper. mor. disp. 10.
sect. 13.

CAPVT XLV.

^a *Morinensi Episcopo.*

Contingit interdum, quod dum clericali caractere insigniti ad turpia lucra di-
vertunt, & secularibus negotiis se immiscunt, clericale nomen abominabile
redditur cordibus infirmorum. Sanè sicut accepimus insinuantibus nobili ^b vi-
ro Comite Flandrensi, ac nobili muliere M. relicta quondam Ph. Flandrensis Comi-
tis, in diocesi tua quidam existunt, qui nec in modo tonsuræ, nec in vestium forma,
nec in qualitate negotiorum de clerico quidquam ostendunt, ad pœnæ subterfugium se
clericos exhibentes. Quia cum super excessibus, quos sæculari luxu committunt, ad
publica judicia pertrahuntur, circumcisus crinibus, ut possint circumvenire vindictam,
se pro clericis repræsentant, clericalis fori privilegium labiis allegantes, qui factis paulò
antè negaverant clericatum; dumque repentina tonsurâ pœnas eludunt, quas intonsi
perveris actibus meruerunt, per impunitatis fiduciam nutritur in eis audacia delin-
quendi; & dum impunè delinquant, quibusdam efficiuntur in scandalum, & aliis in ex-
emplum. Verùm quia privilegium meretur amittere, qui permisâ sibi abutitur pote-
state, ac frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem, volumus, & mandamus,
ut tales, si tertio à te commoniti, se ipsos contempserint emendare, illius efficiantur im-
munitatis expertes, quæ pro clericorum tutela, & laicorum violentia coercenda nosci-
tur instituta. Tu denique frater Episcope, &c. Datum Lateran. v. idus Ianuar. Pontif.
N. Anno xv.

NOTÆ.

I. ^a *Morinensi.*] In nulla ex collectionibus
antiquis reperitur textus hic; extat ta-
men inter epistolas editas à Bosqueto lib. 3. re-

gest. 15. epist. 200. ex quo Registro inscriptionem;
& literam restituo. De Morinensi diocesi egi in
cap. 1. de solut. & textum hunc exposui in cap. finali
de clericis conjug. 1. de apostatis.
^b *Viro.*] Balduino videlicet.

CAPVT XLVI.

^a *Idem.*

In præsentia dilecti filii, &c. *Et infra*; Nec Canonici suo Decano excommunicatio-
nem objicere possint, cum super hoc nec monitus, nec requisitus fuerit, nec ipse pro-
pter hoc eum duxerit evitandum: sed Episcopus in mensa, & Canonici communicave-
rint ei etiam in divinis,

NOTÆ.

^a *Idem.*] Ita etiam legitur in quarta collectio-

ne, sub hoc tit. cap. 2. nullibi tamen exprimitur
cui rescribat Pontifex. Textum hunc exposui in
cap. cum inter, cap. dilecti, de excepto.

CAPVT XLVII.

*a Spiren. Argentin. & Vvarmacien. Episcopis, pro deliberatione
Salernitan. Archiepiscopi.*

Quanta præsumptionis, & temeritatis existat in rectores Ecclesiæ manus injicere violentas, in Evangelio Dominus protestatur, qui se in ministris suis affligi iusserit, & in Apostolorum Principe alibi se prohibuit iterum crucifigi. Hoc etiam poenæ qualitas manifestè declarat, cum excommunicationis sententia in ipso actu feriat delinquentes, si non solum in fratres, & Coepiscopos nostros, sed etiam in minoris ordinis clericos violentiam præsumpserint operari. Ne autem solos violentia hujus auctores aliquorum præsumptio crederet esse punitos, b facientes, & consentientes pari poenâ plectendos canonica censura condemnat, eos etiam delinquentibus favere interpretans, qui cum possint, manifesto facinori desunt c obviare. Quod bonæ memoriæ C. Papa prædecessor noster hæctenus diligenter attendens, auctores, & fautores captionis, & detentionis ven. f. n. d. Salernitani Archiepiscopi excommunicationis nuntiaffet vinculo innodatos, nisi per Imperiales nuncios sæpe fuisset ei, ac firmiter repromissum, quod idem Archiepiscopus sine dilatione qualibet libertati pristina redderetur. Ne autem detentio ejus nobis de cætero imputetur, si circa liberationem ejus inventi fuerimus negligentes, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus nobilem virum Vvichel, de Berce, ex parte nostra diligentius moneatis, ut eundem Archiepiscopum à detentionis suæ carcere absolutum ad nos cum honore remittat, nobilitatem ejus gratiarum actionibus prosequentes, quod circa eum spiritum compassionis exhibuit, & quantum licuit, solatium ei humanitatis impendit. Quod si (quod non credimus) ad monitionem vestram, & venerabilis fratris nostri e. Sutri Episcopi, & dilecti filii Abbatis sancti f. Anastasii, quos ad hos specialiter destinamus, eum dimittere noluerit, excommunicationem ipsam publicè g nunciatis: & si qua forsitan ab aliquibus Ecclesiis beneficia possidet, ea ipsi per censuram ecclesiasticam auferri mandantes, totam terram ejus, imò totam dioecesim, in qua idem Archiepiscopus detinetur, vel ad quam translatus fuerit detinendus, supponatis sententiæ interdicti. Nos enim dilectis filiis Capitulo Maguntin. dedimus in mandatis, ut sententiam vestram faciant inviolabiliter observari. Volumus autem nihilominus & mandamus, ut universis Alemaniarum Principibus in remissionem suorum criminum injungatis, ut sollicitudinis suæ studium efficaciter interponant, quod eis mediantibus Archiepiscopus ipse liberè ad nos quanto citius revertatur: significantes eis, quod si id (quod absit) impletum non fuerit, intotam Alemaniæ interdicti cogemur sententiam promulgare. Quod si omnibus, &c.

NOTÆ.

I. a *Spirensi.*] In hac sexta collectione, & in quarta, sub hoc tit. cap. 4. tantum legitur idem: sed inscriptionem, & literam restituo ex iplo Regesto epistolarum Innocentij correcto à Sirleto Cardinali, ubi lib. 1. fol. 10. reperitur textus hic. Spirensis Cathedralis Ecclesia est in Germania, suffraganea Archiepiscopi Moguntini, cujus Prælati Othoni videlicet, qui fuit Comes Enemberg, in præsentem rescribit Innocentius, Argentinæ etiam Ecclesia est in eadem Metropoli, ut probavi in cap. venerabili, de præb. cujus Prælati, Conrado videlicet, missa est præsens Decretalis. Similiter & Vvarmacienfis (ita legendum) est in Germania sub eodem Archiepiscopo, ut probavi in cap. 1. de censibus. Eius Episcopo Leopoldo in præsentem scribit Innocentius.

b *facientes, & consentientes.*] Iuxta tradita in cap. 1. de offic. deleg.

c *Obviare.*] Consonant textus in cap. negligenter 55. 2. quæst. 7. cap. qui potest. 8. 23. quæst. 4. cap. 10.

cap. error. cum sequent. 83. dist. cap. 1. cap. facientis 3. 86. dist. culpa 50. l. nullum 109 ff. de R. l. l. 2. §. 1. l. 3. & 4. ff. de noxal. Et sanè patetiale est, & decantatum illud Senecæ in Troade: Peccare qui non prohibet cum potest, jubet. Cui consentiunt Arnobius lib. 2. advers. Gentes, ibi: Cum non prohibendo quod oportuerat prohiberi, cessatione crimen fecerit proprium, & retentionis dissimulatione permiserit prius. Salvian. l. 7. de provid. Potestas quippe magna, & potentissima, qua inbibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari: in cuius enim manu est, ut prohibeat, jubet agi, si non prohibet admitti, Petrus Blesensis epist. 146. Ipsa taciturnitas ejus præsumitur ad consensum: videtur enim consentire, qui cum possit, & deberet, non corripit: & dissimulatrix patientia societatis occulta scrupulo non carebit. Alia in eandem sententiam congesseverunt Richerius ad Salvianum, pag. 323. Desider. Heraldus, & Bulengerus ad Arnobium ubi supra. Petrus Faber, & Gothofredus in dista culpa, & dist. l. nullum, Amaya in l. 3. Cod. de canone largis. num. 16. Solorzanius emblem.

emblem. ad praxim.; notarunt Flores de Mena *lib. 1. quæst. 18. P. Mendo lib. 3. de jure Academ. quæst. 37. & nos in cap. 3. de hæreticis.*

d *Salernitani.*] Nicolai videlicet; nam anno 1194. defuncto Tancredo Rege Sicilia Henricus Imperator injurias ulturus, & ut Regnum illud occuparet, copias paravit. Willelmum autem Tancredi filium unâ cum matre, & fororibus, viribus suis non fidens in prærupti montis Caltabilloctæ castrum confugit. Imperator Messanâ, aliisque urbibus Sicilia blandè allectis, sub pollicitationum simulatione, idest, ut si Willelmus regno se abdicaret, ei Taranti Principatum, ejusque matri Comitatum Lecii ipse elargiretur, Willelmum Regem, Siviliam matrem filiasque in potestatem suam redegit 3. Kal. Januarii, anno 1195. ut refertur Baronius *anno 1194. Facel. in decad. fol. 472.* Sed perfidus Imperator eos omnes cum Nicolao Archiepiscopo Salernitano, Richardo Comite Ayelli, Rogelio fratre Matthæi Cancellarii, Episcopo Ostrunensi, & Tranensi, aliisque Regni Proceribus in Germaniam veterem coëgit, ibique supplicii af-

fectos carceri mancipavit. Sed Innocentius III. præfenti epistolâ, & aliâ missâ Episcopo Sutriensi, & Abbati S. Anastasiæ, ut inde educerentur, curavit. Ergo excommunicationis minis per Episcopos intentatis, adnitente etiam Philippo Sueviæ Duce, ipsius Imperatoris fratre, omnes pristinae libertati sunt restituti, excepto Rege, qui Regno exauthoratus, oculis erutis, atque genitalibus recisis, carceri ad mortem usque mancipatus fuit, ut refert D. Rochus Pirro *in chron. Reg. Sicilia, anno 1194.*

e *Sutri.*] De Ecclesia Sutriensi, seu Sutrina, egi *in cap. cum Ecclesia, de causa possess. & propr.*

f *Sancti Anastasi.*] Legendum est sanctæ Anastasiæ, quod monasterium Ordinis est D. Benedicti in Sicilia, & ipsius Abbatie præsentatio spectat ad nostrum Monarcham, ut refert, & probat Barboza *lib. 3. voto 89. in princip.*

g *Nunciatus.*] Quia manus violentas injecisse creditur, qui clericum in carcere, aut simili loco detinet, *cap. 2. hoc tit. in 2. collect.* ubi probavi *in cap. cum desideres, hoc tit.*

CAPVT XLVIII.

Idem in Concilio^a Generali.

Sacro approbante Concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competentem commonitionem præmissâ, & præsentibus personis idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat: quia si contra præsumpserit, etsi b*justa* fuerit excommunicationis sententia, c*ingressum* Ecclesiæ per menssem unum sibi noverit interdictum, aliâ nihilominus pœnâ multandus, si visum fuerit expedire. Caveat etiam diligenter, ne ad excommunicationem cujusquam absque manifesta, & d*rationabili* causa procedat: ad quam si fortè taliter processerit, & requisitus humiliter processum hujusmodi non curaverit absque gravamine revocare, gravatus apud e*superiorem* judicem deponat de injusta excommunicatione querelam: quod si absque periculo moræ potest, ad excommunicatorem illum cum suo mandato remittat, intra competentem terminum absolvendum, alioquin ipse vel per se, vel per alium, prout viderit expedire, sufficienti cautione receptâ, munus eis absolutionis impendat. Cumque adversus excommunicatorem de injusta excommunicatione constiterit, excommunicator condemnatur excommunicato ad interesse, aliâs nihilominus, si culpæ qualitas postulaverit, superioris arbitrio puniendus, cum non levis sit culpa tantam infligere pœnam infanti, nisi fortan erraverit ex causa probabili, maximè si laudabilis opinionis existat. Verùm si contra excommunicationis sententiam nihil rationabile fuerit à conquirente probatum, idem & super injusta excommunicationis molestia per pœnam ad interesse, vel aliam secundum superioris arbitrium, nisi fortan & ipsum probabilis error excuset, & super eo, pro quo iusta fuerit excommunicatione ligatus, per cautionem receptam satisfacere compellatur, vel in pristinam reducatur sententiam usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observandam. Si verò judex suum recognoscens errorem, paratus sit talem revocare sententiam; & is, pro quo lata fuerat, ne absque satisfactione revocet illam, appellet, appellationi non deferat in hac parte, nisi talis error sit, de quo meritò debeat, vel valeat dubitari: & tunc sufficienti cautione receptâ, quod coram eo, ad quem extitit appellatum, vel delegato ab ipso juri parebit, excommunicatum absolvat, sicque pœnæ subscriptæ minimè subiacebit: Cavens tamen omninò, ne voluntate perversa in alterius præjudicium mentiat errorum, si distinctionis canonicæ vult effugere ultionem.

NOTÆ.

^a *Generali.*] Lateranensi videlicet, ut legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & reperitur textus hic in ipso Concilio, *can. 47.*

b *Iusta.*] Ex causa videlicet, nam quoad ordinem judicialem injusta est, ut statim dicemus.

c *Ingressum Ecclesiæ.*] Quæ pœna etiam statuta reperitur ex aliis causis *in cap. is qui, hoc tit. in 6. cap. Episcoporum 3. de privi. eodem lib. cap. præsentis.*

I.

fenti, de offic. ord. in eod. lib. cap. exigit, de censibus, eod. lib. & hac pœna usus fuit D. Ambrosius cum Imperatore Theodosio in cap. cum apud 69. 11. quæst. 3. Et cum hæc pœna ad tempus imponitur, ut in præfenti, & in cap. 1. §. si quis, hoc tit. in 6. elapso tempore ab Ecclesiæ ingressu interdictus ipso jure restitutus censetur, cap. si quis amodo 81. dist. cap. non est vobis, de spons. docent P. Gregorius lib. 4. partit. tit. 15. cap. 4.

2. d. *Rationabili.*] Et gravi videlicet, nam nisi pro peccato mortali excommunicatio imponi non potest, cap. nemo, cap. Episcopi, cap. nullus, 11. quæst. 3. aut propter notoriam contumaciam in obediendo Ecclesiæ, ut in cap. 2. de majorit. & obed. cap. sacerdote, de consecr. dist. 2. cap. si quis ex clericis de vita & honest. cler. Theophil. de liter. mon. lib. 2. cap. 9. Nec contrarium probatur in cap. duo, 96. dist. in illis verbis: Pro culpa, qua aliis sacerdotibus non adeo gravis videbatur. Ex quibus videbatur, excommunicationem prolatam fuisse. Nam respondetur, illa verba non esse intelligenda, ut verè causa levis fuisset, sed quod falsò sacerdotibus talis videbatur. Nec etiam contrarium probat D. Augustinus in cap. si habent 24. quæst. 3. ubi cum ageret de quodam presbytero, qui ex levi causa fideles anathematizabat, ait se illud non facturum, nisi gravissimè commoveret, nam ea verba, nisi gravissimè commoveret; ita accipienda sunt, id est, si ita commoveretur, ut extra se esset. Nec etiam contrarium probat textus in cap. qua fronte 26. de appel. ubi dicitur, posse proferri excommunicationem ob contumaciam, vel aliam causam. Igitur absque contumacia dari potest causa, ob quam excommunicatio proferatur. Nam in eo textu non docetur, aliam causam præter contumaciam sufficere ad proferendam excommunicationem, sed tantum asseritur, ad proferendam excommunicationem immediatè necessariam esse contumaciam, & mediatè aliam causam absque contumacia sufficere ad excommunicationem infligendam.

c. *Superiorem.*) Qui absolvere debet, aut excommunicatum remittere absolvendum ipsi Episcopo, qui excommunicavit, juxta tradita supra in cap. per tuas.

COMMENTARIUM.

3. **E**X hoc canone talis communiter deducitur assertio: Prælati non debet excommunicare subdito, nisi competenti monitione præmissa. Probat eam textus in cap. Deus, §. omnipotens 2. quæst. 1. cap. canonica 107. 11. quæst. 3. cap. indignum 21. §. debet 12. quæst. 2. cap. de illicita 24. quæst. 3. cap. consului, de offic. deleg. cap. cum speciali, de appellat. c. contingit, et 2. hoc tit. cap. Romana, cap. statutum, cap. constitutionem, hoc tit. in 6. Illustrant ultra congestos à Barbosa in præfenti, & de potest. Episc. alleg. 126. Petrus Gregorius lib. 4. partit. tit. 16. cap. 6. & libr. 31. syntag. cap. 9. num. 9. Gutierrez lib. 2. canonic. cap. 16. Feum. linus in cap. 1. de judic. quæst. 23. Hurtado de excommunic. disput. 9. difficul. 2. Suarez, Sayrus, Alterius, & alii de censuris scribentes relati à Gibalino de censur. disp. 6. per totum, Altesferra in præfenti.

4. Sed pro dubitandi ratione in præfentem assertionem ita infurgo. Si monitio desideraretur ad excommunicationem, non posset ignorans, aut absens excommunicari: sed tam absens, quam ignorans potest excommunicari: igitur quia trina

monitio ad excommunicationem non desideratur. Major patet, minor autem probatur ex c. de manifesta 17. 2. q. 1. c. cum sit Romana §. ult. de appellat. in quibus factum D. Pauli 1. ad Corinth. §. ceterum, qui Corinthium quendam absentem, & irrequisitum excommunicavit, ibi: Ego præfens spiritum, absens autem corpore jam judicavi. Ergo excommunicatio nullâ præmissâ monitione in absentem, & ignorantem proferri potest. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam excommunicatio, seu quælibet alia censura statim atque proferatur, ligat, quia secum trahit executionem, cap. pastoralis 53. §. verum, de appell. & ideo in absentem pro lata eo animo ut statim liget, habet effectum, quia excommunicatio non pendet ab animo, & intentione proferentis, qui potest velle, ut statim effectum habeat, vel cum ad ejus notitiam pervenerit, ut plerumque fit, cap. viduam 29. §. adversus 2. quæst. 6. & ignarum excommunicatione affectum fuisse, supponitur in cap. Apostolica 9. de cleric. excomm. Ergo quia absque ulla monitione excommunicatio proferri potest.

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præfens assertio, pro cuius expositione scire oportet, esse in Ecclesiâ potestatem ordinatam ad ipsius regimen in foro exteriori pro censuras, & pœnas, quæ ad bene regendam fidelium Rempublicam necessariæ sunt: quæ potestas jurisdictionis appellatur, ad quam pertinet non tantum vis directiva ad ferendam legis obligationem, verum etiam vis coercitiva, quæ propterea vocatur potestas fori contentiosi: quam quidem potestatem à Christo Domino Ecclesiæ accepit, Matthæi cap. 16. & 18. ibi: Quodcumque ligaveris super terram, &c. Et cap. sollicitè de majorit. & obed. Ex quibus & aliis auctoritatibus congestis ab Hallerio lib. 4. de jurisd. hierarch. art. 7. §. 5. cognoscitur Ecclesiâ habere potestatem ferendi censuras; nam verbum ligaveris, ecclesiasticam censuram magnopere importat, quæ est vinculum quoddam, seu ligamen, ut probant Suarez de censur. disput. 1. sect. 2. num. 3. Gibalinus eod. tract. disput. 3. quæst. 1. & sæpè usus fuisse D. Petrum & Paulum hac potestate censurarum, constat ex canone 28. aliis 30. Apollolorum. ex epistola 1. ad Corinth. cap. 5. ibi: Tradisathana. Et epist. 16. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema. Erit hæc potestatem ex Ecclesiæ institutione agnoverunt Cælestinus Papa epist. 2. Urbanus epist. 1. Fabianus epist. 1. & 2. congesti à Suario, & aliis de censuris agentibus.

Ut autem excommunicatio non solum validè, verum & justè proferatur, non solum causa gravis præcedere debet, verum & monitio in omnibus sententiis ab homine proferendis: quod non procedit in excommunicationibus à jure impostis, quia lex ipsa quotidie monet, ut in cap. Apostolica §. si nat. de re judic. lib. 6. c. penult. de immunit. Eccles. eod. lib. cap. 2. §. si quis autem, ne clerici, vel mon. eod. lib. Clement. 1. in princip. de sequestr. possess. Clement. 1. in fine, de pœn. Circa hæc autem monitionem nonnulla observanda sunt. Primum, ut trina sit, id est ut reus ter moneatur, cap. contingit 2. hoc tit. idque appellant Domini præceptum Patres Concilii Rhotomag. in cap. omnes 16. quæst. 7. & Nicolaus in cap. presbyterum 16. quæst. 4. & P. Concilii Parisiensis in cap. de illicita, 24. quæst. 3. eandem trinam monitionem reperunt ex evangelica auctoritate, quia nempe Christus Dominus docuit apud Matthæum cap. 18. ut peccantem

tem fratrem primò moneamus secretò, deinde duos testes adhibeamus, demùm deferamus ad Ecclesiam, quam si non audierit, habeamus illum pro Ethnico, & Publicano. Ad exemplar igitur illius ordinis, quem servandum Christus Dominus præcepit in correctione fraterna, voluit Ecclesia trinam monitionem præmitti ante censuram, quæ ad emendationem quoque rei dirigitur. Accedit exemplum juris civilis, juxta quod in casibus, in quibus monitio necessaria est, trina præscribitur, l. 4. ff. de pignor. act. l. contumacia. ff. de re judic. l. 8. §. 9. Cod. quomodo. & quando. l. ult. Cod. Theodos. de SC. Claudiano. novel. 117. §. penult. Cujacius lib. 20. obser. c. 11. Quare monitio, quæ trinà vice fit, canonica, & legitima dicitur in cap. fin. de vita & honest. cleric. cap. contingit, el. 2. hoc tit. quali in utroque jure probata. Hæc autem trina monitio fieri debet per distincta intervalla aliquot dierum, ut ita reus tempus habeat sese emendandi; non est tamen necessariò realiter trina, immò satis est, si formaliter multiplex fit, & realiter una, quæ simul plura intervalla assignet, veluti si quindecim dies præscribantur, quinque pro prima monitione, totidem pro secunda, & residui pro tertia, & peremptoria, ut docetur in cap. constitutionis, hoc tit. in 6. quod & jure civili observatur in tribus edictis à Prætoribus proponendis; nam potest eam conjunctim, vel disjunctim proponere, l. ad peremptoriam 68. l. §. tertium 70. ff. de judic. probant Vultei discip. jur. cap. 2. Pichardus in tract. de primo & secundo decreto. Deinde canonica hæc monitio debet continere nominatim eos, qui monentur, vel nomine proprio, vel indubitabili signo, cap. licet, de testibus, cap. 2. hoc tit. in 6. argumento legis certum. ff. de rebus credit. l. ff. de liber. & posth. Debet etiam fieri personaliter ei, qui monetur, nisi fraudulenter latitet, ita ut personaliter moneri nequeat, ut latius profequuntur Covar in cap. alma. 1. part. §. 9. num. 4. Gibalin. de censur. disquisit. 6. quest. 1. Item debet fieri præsentibus idoneis personis, ut probari possit juxta præsentem textum. Tandemque fieri debet auctoritate, & jussu ipsius judicis, qui sententiam profert, ut docet alia de hac monitione adducens Gibalin. d. disquisit. 6. per totam.

8. Iradi-
rar
tio deci-
dendi.

His suppositis apparet ratio præsentis constitutionis, quæ ex eo provenit, nam cum finis principalis excommunicationis, sit emendatio peccati commissi, & evitatio futuri, nec eo duplici fine sublato maneat amplius censura; atque ex eo sine intrinseco proficiscatur necessitas alicujus monitionis præviæ, ideo PP. Concilii Lateran. statuerunt, ut semper competens monitio præcederet ipsam excommunicationem. Facit quod Servius ad Virgil. 8. Aeneid. ait, fulmen aliud esse ostentatorium, quo metus incutitur; aliud peremptorium, quo puniuntur nocentes. Et Seneca lib. 2. natur. 99. fulgurationem à fulmine distinguit, quod fulguratio ostendat ignem, fulminatio emittat: illa ut comminatio est, & tonatio sine ictu; ista jaculatio cum ictu. Sic etiam in excommunicatione eam debet præcedere aliqua comminatio; sed si excommunicatio proferatur nullâ præmissâ monitione, erit quidem injusta, utpote prolata contra juris ordinem, sed valida. Covar. dict. §. 9. num. 7. si aliquos casus excipias. Primus est si iudex delegatus jussus sit excommunicationem proferre monitione præmissâ, quia cum forma literarum servanda sit, cap. cum dilectis, de rescript. cap. Pisanis, de rescript. spol. ideo excom-

municatio prolata contra formam ipsius delegationis nulla est, Covar. dict. §. 9. num. 8. Gibalinus dict. disquisit. 6. quest. 4. Alius casus est, cum excommunicatio proferatur in participantes, sive communicantes cum excommunicato, quia debent prius moneri, ut tali participatione se abstineant, alioquin ejusmodi excommunicatio defectu præviæ monitionis non solum injusta, verum & nulla est, quia ita specialiter cautum est in cap. statumimus, hoc tit. in 6. Docuerunt Navarr. in manual. cap. 27. num. 4. Hurtado de excommunic. disput. 9. difficult. 3.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam licet Suarez de censur. disp. 4. sect. 11. num. 2. docuerit, quod Apostolus potuit Corinthum excommunicare absentem, ita ut censurâ non ligaretur, quousque ei nota fuisset, & intimata; & ita factum fuisse sibi persuadeat ex eo, quod antequam excommunicatio ad ejus notitiam perveniret, non poterat illum effectum operari, quem Apostolus intendebat, scilicet ut spiritus ejus salvus fieret; nec alium moralem, ut ipse alios vitaret, & ab aliis vitaretur. Tamen omisâ hac sententiâ verius est, ex facto D. Pauli, & ex dicto capite de manifesta, apertè probari in absentem, & ignorantem excommunicationem proferri posse, ut docuerunt Glossa in cap. Apostolica, verbo Probabilis, de cleric. excom. Host. ibi. num. 1. Anchar. num. 2. Covar. in cap. alma, 1. part. §. 10. num. 7. Ugolinus de censur. tabul. 1. cap. 9. §. 8. num. 1. Nec obstat consideratio P. Suarez, namque si Apostolus potuit Corinthum ita excommunicare absentem, ut censurâ non ligaretur, quousque ei nota fuisset, docuit etiam illum ignorantem excommunicare; & ita fecisse, magis suadent verba ipsius Apostoli, quæ satis innuunt Corinthum per excommunicationem jam traditum fuisse satanae, ut factum illud refertur in cap. quid crudele 44. cap. quos Christus, §. final. 23. quest. 4. quia ejus crimen erat ita notum, ut nulla tergiversatione celari possit, ut inquit D. Ambrosius, ibi. Oportet tamen ut justè in absentem, & ignorantem excommunicatio proferatur, quod prius legitima monitio præcedat; namque absens, & ignorans, si legitime prius communitus noluit relinquit, verè contumax redditur, & ut talis justè excommunicatur. Nec obstat textus in dict. cap. cum sit Romana, §. final. ibi: Irrequisitum. Nam eo verbo non significatur, Corinthum non monitum excommunicatum fuisse, sed non vocatum, quia talis vocatio in notoriis non est necessaria, ut explicant Glossa ibi, & Cujacius, Suarez dict. sect. 11. num. 1. Marius Alterius de censur. lib. 3. disput. 3. cap. 4. Ugolinus tabul. 1. cap. 18. num. 1. vers. 3. & ita Corinthum Apostolus monuit, licet postea non vocatum, sed irrequisitum excommunicavit, quia notorium erat illius peccatum. Suarez dict. sect. 11. num. 1. Balboa in cap. 1. de judic. num. 28. Quo modo etiam procedunt textus in dict. cap. de manifesta 2. quest. 1. cap. inter querelas 23. quest. 4. cap. eos qui, 32. quest. 5.

Sed supra traditæ assertioni obstat textus in cap. Guilifarius 23. quest. 4. ubi refertur, Silverium Pontificem excommunicasse Guilifarium Patricium, nullâ monitione præmissâ. Igitur quia non desideratur monitio, ut excommunicatio proferri possit. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, Silverium Pontificem non excommunicasse Guilifarium Patricium, sed potius declarasse ipsum in excommunicationem incidisse, & ita excommunicatum.

9. Dissol-
vitur
dubi-
tandi
ratio.

10. Expo-
nitur
cap. Gu-
ilifari-
us 23.
9. 4. cap.
illud, de
cleric.
excom.

communicatum anathematizasse propter horrendum, & immane scelus capiendi, detinendique ipsum Pontificem, ut explicant Turrianus *pro epist. Clement. lib. 8. cap. 36.* Covar. *in cap. alma, 1. part. §. 8. num. 6.* Balboa *in cap. 10. de judic. num. 42.* Etiam opponi solet textus *in cap. illud. de clerico excom. ibi: Non crediderat quod monitione premissa,* &c. Ex quibus deducitur, excommunicationem

absque monitione ritè prolatam fuisse. Ergo etiam monitione non premissa excommunicatio rectè profertur. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo textu non agi de hac monitione præmittenda ante excommunicationem, sed demonstrationem quam facere tenetur, ubi de quoque delegatus ante exercitium suæ jurisdictionis, de qua *egi in cap. cum in iure peritus. de offic. deleg.*

CAPVT XLIX.

Honorius III. ^a Bononiensi Episcopo.

NOverit fraternitas tua, quod nos in Basilica Principis Apostolorum, præsentem Reverendissimo in Christo filio nostro Illustri Romanorum Imperatore, & semper Augusto in celebratione Missarum, postquam capiti suo imposuimus Imperii diadema, de consensu fratrum nostrorum, accensis ^b candelis excommunicavimus Ex parte Dei omnipotentis, auctoritate quoque Apostolorum Petri & Pauli, & nostra omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, & fautores, receptatores, & defensores eorum, necnon & qui de cætero servari fecerint ^c statuta edita, & consuetudines, vel potius abusiones introductas contra Ecclesiæ libertatem; & nisi ea de ^d capitularibus infra duos ^e menses post hujus publicationem sententiæ, sece- rint amoveri. Item excommunicavimus statutarios, scriptores statutorum ipsorum, necnon Potestates, Consules, & Rectores, & Consiliarios locorum, ubi de cætero hujusmodi statuta, vel consuetudines edita fuerint, vel servata, necnon & illos, qui secundum ea capitularia præsumperint, judicare, vel in publicam formam scribere judicata.

NOTÆ.

I. ^a *Bononiensi.*] Ita etiam legitur in quinta collectione. *sub hoc tit. de constit. cap. 2.* ex qua collectione restituo integram textum. In præsentem scribit Honorius Henrico Episcopo Bononiensi; nam cum ejus tempore Bononienses, Narnienses, Spoletani, & Ferratienses, assumpto vexillo libertatis contra Ecclesiam Romanam, & libertatem Ecclesiasticam varia statuta fecissent, ut refert Anonymus in vita Gregorij XI. ideo præsentem edidit constitutionem Honorius III. ut ea cassaret, & Fridericus Imperator statim ac coronatus fuit libertates Ecclesiæ restituit: quod privilegium refert Ughellius *tom. 2. Italia sacra. in serie Præfulum Ecclesiæ Bononiensis*: & ipso die inaugurationis suæ anno 1220. constitutionem edidit, quæ erat *in authent. cassu. Cod. de sacros. Eccles.* & in quinta compilatione *sub tit. de constit.* quâ Fridericus irrita esse jubet omnia statuta & consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem. Ex qua constitutione lucem accipit præsens textus, ut jam notavit Petrus Marcha *lib. 2. concord. cap. 11. numer. 7.*

2. ^b *Candelis accensis.*] Iuxta solennitatem, quæ adhiberi solet in pronuntiatione anathematis, de qua *in c. non debent 11. quest. 3.* & in Concil. Lemo- vic. 2. quâ usi fuerunt Innocentius IV. adversus Imperatorem Fridericum II. & in Concil. Lugdun. 4. & antea Alexander III. cum ageretur de pace inter ipsum, & Fridericum Oenobarbum, ut

refertur *in chron. Romualdi Salernitani*, ibi: *Papa excommunicavit eos, qui pacem infringebant; & sic hæc candela exstinguitur, sic eorum anima æterna visionis lumine priventur: cumque candela esset projecta de manibus, Imperator alta voce cum aliis, fiat exclamavit.* Plura de hoc ritu adducit Theophilus *tom. 1. 4. de literis monit. lib. 2.*

^c *Statuta.*] Similiter etiam de statutis à Pisanis editis scribit Honorius *in cap. gravem, hoc tit.* & latè de his statutis *egi in cap. Ecclesia, de constit.*

^d *Capitularibus.*] Capitulare est collectio capitulorum, qualis illa Ansegaisi est; & canones, ac leges appellati solent capitula. Lupus Ferrariensis *epist. 42. Canones eisdem sive ut vos vocatis, capitula.* Hadrianus Pontifex *ad Carolum Magn. epist. 3. Inter quæ edidit nobis capitulare ad- versum Synodum, quæ pro sacrarum Imaginum ere- ctione in Nicana acta est.* Illustrat Gerard. Vossius *lib. 3. de vitis serm. cap. 3.* Etiam capitulare dicitur liber civitatis, in quo decreta, statuta, & consuetudines inseruntur; quo modo in præsentem capitularia accipiuntur, ut notarunt Glossa *in præ- senti*, Cironius *in notis ad hunc textum.*

^e *Duos menses.*] Nam regulariter leges non obligant, nisi post promulgationem, & aliquod tempus elapsum, ut omnis ignorantia vitetur, *cap. non magnopere 3. ne clerici vel monachi, cap. cum infirmus 13. de penit. & remis. cap. 1. de concef. præbend. lib. 6. pluribus relatis illustrat Vela dis- sert. 45. num. 47.*

CAPUT L.

Idem a Magistro, & Fratribus hospitalis Hierosolymitani.

Canonica constitutione cavetur, quod monachi, & canonici regulares quocumque modo se in claustris percusserint, non sunt ad Ap. Sedem mittendi, sed secundum providentiam, & discretionem sui Abbatis disciplina subdantur; quod si Abbatis discretio ad eorum correctionem non sufficit, providentia est diocesani Episcopi adhibenda, nisi excessus difficilis fuerit, & enormis, propter quem merito sit ad Romanam Ecclesiam recursus habendus. Nos ergo vestris supplicationibus inclinati, ad vos statutum hujusmodi duximus extendendum, auctoritate presentium statuentes, ut in tali casu, nisi majoris sit providentia requirenda, per Priorem vestrum, qui sicut audivimus, & presbyter esse debet, fratribus vestris absolutionis beneficium impendatur.

NOTÆ.

cap. i. reperitur prout hic transcribitur.

b Canonica.) Relata in cap. 2. supra hoc tit. ubi textum hunc exposuit.

c Presbyter.) Qui magis idoneus ex omnibus capellanis, & clericis eligitur, ut illis præsit, ut referunt P. Gregor. lib. 15. synag. cap. 34. num. 5. Scanhüs in propugn. discept. 2. cap. 4. qui ex num. 11. agit de hujus prioris officio, & jurisdictione.

1. a Magistro.) Guarino videlicet, vulgo de Monteagudo, qui fuit Magister hujusmodi Religionis, ut referunt Vossius in historia Melitensi, cap. 14. Scanno in propugnaculo hujus Religionis, discept. 2. cap. 2. num. 26. Textum hunc restituo ex quinta collectione, ubi sub hoc tit.

2.

CAPUT LI.

Idem H. iii. S. Praxedis presbyt. a Card. Ap. Sed. legato:

Super eo, quod monachi Græci, & Eremitæ propter inobedientiam suam suspensionis, & excommunicationis vinculo ligati, nolunt ad mandatum Ecclesiæ, nisi per manualementem promissionem redire, hoc tibi duximus respondendum, quod si nullatenus possunt induci ad præstandum juxta formam Ecclesiæ juramentum, ipsos hæc vice cum promissione poteris recipere manuali, cum undique consideratis locorum, & temporum qualitatibus, severitati sit aliquid detrahendum.

NOTÆ.

num. 9. & in cap. 1. de penit. dist. 6. num. 3. Hugolinus de censur. 3. part. §. 1. num. 4. Coninch, de sacram. & censur. disput. 14. disp. 116. num. 203. Avila de censur. lib. 2. disput. 2. dubio 2. Henric. in summa, 2. part. lib. 3. cap. 29. num. 4. Filliuc. in summa, tom. 1. tract. 11. cap. 10. num. 333. Peyrinus in opusc. mor. tract. de formul. Pral. regul. cap. 1. n. 2. & 7. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 17. difficult. 24. num. 7. Bonac. de censur. disput. 1. de cens. in communi, punct. ult. propos. 3. Quare caveant judices ecclesiastici, ne absolutionem facile concedant iudicibus secularibus effraкторibus, seu violatoribus immunitatis ecclesiasticæ, nisi adhibitis prædictis ceremoniis, ut exemplo faciendum docuerunt S. Anton. Archiep. Florent. referente Episcopo Menopol. in histor. S. D. Dominici lib. 1. cap. 146. F. Barthol. a Martyribus Archiep. Brachar. ut tradit Munnoz. in ejus vita, lib. 3. c. 10. S. Thom. a Villanova, referente Michaële Salton. in ejus vita cap. 5. Abulensis dum esset Cancellarius Salmantinus, ut refert Ægidius Gonzalez in theatr. ipsius Eccles. Præsul. Tolet. referente Mariana lib. 18. hist. Hispan. cap. 18. & hoc anno 1669. D. Gabriel Eparza Episcopus Salmanticensis.

3. 1. a Cardinali.) Ita etiam legitur in quinta collectione, sub hoc titulo cap. 2. ex qua transcribo textum hunc.

2. b Manualementem promissionem.) Licet quilibet excommunicatus ante absolutionem teneatur juramento promittere se paritum Ecclesiæ mandatis, cap. cum desideres, cap. ad hæc, cap. nuper, cap. de cetero, hoc tit. tamen in presenti casu ob duritiam Græcorum Honorius permisit, ut illi ad Ecclesiam redeuntes tantum manualementem promissionem facerent, id est simpliciter absque juramento promitterent stare mandatis Ecclesiæ: ut etiam obedientia manualis accipitur in cap. his, de majorit. & obed. Unde optime deduxerunt Hostiensis, & Abbas in presenti, tantum Pontificem dispensare posse, ut absolutione impendatur excommunicato non adhibitis requisitis, & ceremoniis a jure præscriptis: & peccatum læthale esset absolvere excommunicatum non adhibitis ceremoniis in cæroniali Romano statutis, præcipue ubi adest scandalum. Docuerunt Suarez de censur. disput. 19. sect. 2. Reginaldus lib. 9. in praxi fori, cap. 4. sect. 3. Turrianus de censur. lib. 3. disput. 14. dub. 3. Navarrus in manual. c. 26.

CAPUT LII.

Idem ^a Bituricensi, & Carnot. Decano, & Subdecano Aur.

Venerabili fratre nostro Cenomanenti ^b Episcopo, & dil. filio H. canonico Turonensi procuratore venerabilis fratris nostri Turonensis Episcopi in nostra presentia constitutis, pro quadam suspensionis sententia in prefatum Episcopum ab eodem ^c Archiepiscopo promulgata: nos auditis, & intellectis quæ super hoc fuerunt ab eis proposita coram nobis, quia partes dissentiebant, in facto, ita quod de illo plenè constare non potuit, sententiam ipsam de gratia relaxavimus ad cautelam, ipso Episcopo in presentia dicti procuratoris prestante corporaliter juramentum, quod parebit mandatis, quæ idem Archiepiscopus sibi propter hoc fecerit, si constiterit ipsum Episcopum in eo, pro quo fuit lata suspensio prædicta, culpabilem extitisse.

NOTÆ.

1. ^a Bituricensi.) Ita legitur in quinta collectione, sub hoc tit. cap. 4. ex qua inscriptionem & literam hujus textus transcribo. De Ecclesiis Bituricensi, Carnot. & Aurel. jam egi in cap. 31. de rescript.
2. ^b Episcopo.) Mauritio videlicet, qui fuit xxxix. Episcopus Cenomanensis Ecclesiæ, & ex ea translatus in Archiepiscopum Rothomag. anno 1231.

ur refert Chenu in serie Presulum ipsius Ecclesiæ, c Archiepiscopo.) Ivello videlicet de Matelolon: sed non intelligas Archiepiscopum solum suspensionis sententiam in Episcopum protulisse, sed simul cum aliis Episcopis ipsius Provincie; nam causæ Episcoporum tantum in Consilio Provinciali discipari poterant, cap. si quis Episcopus 6. quæst. 4. probant Cironius in notis ad hunc textum, P. Marcha lib. 4. concord. cap. 3. probavi in cap. 1. de judic. & in cap. 3. de accusat.

CAPUT LIII.

Idem Episcopo ^a Senensi.

Gravem venerabilis fratris nostri Pisan. Archiepiscopi recepimus questionem, quod A. B. & quidam alii cives Pisan. deputati à Potestate, ac populo ad statuta civitatis edenda, tanquam perversè sapiant, in derogationem Apostolica Sedis, & subversionem Ecclesiasticæ ^b libertatis edere præsumpserunt, quod si quis clericus, vel laicus contra quemcunque laicum Pisan. districtus ad judicem ecclesiasticum literas Apostolicas impetraverit, in mille solidis, nisi hujusmodi renunciaverit literis, condemnatur; nec redditus possessionum suarum reddantur eidem, vel agri excolantur ipsius, sed ^c banno potius subiaceant Potestatis, quæ nullum ad regimen civitatis suscipiet, nisi hoc se juraverit facturum: & hæc, & qualibet alia Potestas, quæ pro tempore fuerit, successores suos jurare faciet supradicta. Statuerunt illi præterea, ut clerici suis sumptibus castrum Ripastractæ faciant custodire: quod si renuerint, contra eos Potestas procedere teneatur juxta quod dictaverit consilium civitatis. Quæ omnia is, qui nunc præest civitati prædictæ observaturum se firmiter jure jurando firmavit. Cum autem tota civitas Pisana, quæ aliàs tamdiu Dei à timorem abjecit, quod infecta jam errore, vel infectioni proxima præsumatur, & tam statutarios, quæ in Potestatem eandem non sit dubium propter hoc excommunicationis sententiam, præter notam infamiæ, incurrisse: fraternitati tuæ mandamus, quatenus eos excommunicatos publicè nunties, & facias ab omnibus arctius evitari, donec absolutionis beneficium per Sedem Apostolicam mereantur: contra Consiliarios, & Officiales civitatis ipsius, nisi statuta ipsa de capitalibus deleri fecerint, & idoneè, sicut exigit res, caveri, quod similia de cætero non debeant attentare, similiter processurus. Caterum cum iidem statuarii multa de bonis Ecclesiæ tenere dicantur in feudum, ipsos nihilominus fore privatos feudis hujusmodi nuntiare procuret.

NOTÆ.

1. ^a Senensi.) Ita legitur in quinta collectione, sub hoc tit. cap. 5. ex qua restituo inscriptionem, & literam hujus textus: in præsentis rescribit Honorius Benfilio præclaro viro, de quo plu-

ra refert Vghellus tom. 1. Italia sacra, fol. 620. b Ecclesiastica libertatis.) Quare similia statuta nulla sunt, ut probavi in cap. Ecclesiæ, de consuet. ubi commentarium hujus textus dedi, c Banna.) Banni varias acceptiones adduxi in cap. 2. de purgat. canonic.

d Timorem

3. d. *Timorem abiecit.*] Pisana civitas felix olim fuit, non modò florente Romano Imperio, verùm & post ejus ruinam; siquidem subegit insulam Sardinia: quare Romani Pontifices ejus insulæ jurisdictionem Pisani concesserunt. Pisani etiam Carthaginem, atque Baleares insulas in feruitatem reduxerunt, Panormumque à Sarracenis occupatam recuperarunt, profugosque Romanos Pontifices hospitio exceperunt. Felicitas rerum fortuna hanc civitatem provexit, donec cum Fridrico II. Imperatore contra ecclesiasticos inito fe-

dere, captisque ad Lomellum duobus Cardinalibus, ac quampluribus Præsulibus, quia Gregorius IX. mandante ad Concilium indictum proficiscerentur, divini Numinis non seram provocavit vindictam; paulò enim post eodem in loco à Genuensibus navali prælio Pisani superati cum 49. trirēmibus duodecim milia selectorum militum amiserunt, præteritarum victoriarum amisso decore; tandemque sub jugo Florentinorum missa in eum statum redacta est, ut penè deferta fuerit, ut refert Vghel. tom. 3. *Italia sacra*, fol. 393.

CAPVT LIV.

Gregorius a nonus.

3. CUM voluntate, ac proposito maleficia distinguantur, excommunicationis sententiam non incurrit, qui excommunicato in his, quæ ad absolutionem, vel aliàs ad salutem animæ pertinent, in loquutione participat, licet etiam alia verba incidenter (ut apud eum magis proficiat) interponat. Prædicatores quoque, qui penes excommunicatos, vel alios alienarum rerum detentores in prædicationibus, & confessionibus quasi gerunt causam (vel curam) eorum, ad quos res ipsæ spectare noscuntur, elemosynas licetè possunt ab illis recipere, præsertim si aliàs non valeant in illo loco sustentationem habere. Si qui verò ratione officii, quod in Ecclesia obtinent, aut etiam alii clerici seniores zelo devotionis pueros, vel adolescentes in minoribus ordinibus constitutos turbantes divinum officium, & hi qui obtentu prælationis, vel magisterii subditos, & scholares b correctionis causâ leviter fortè percusserint, excommunicationis sententiam non incurrunt. Quod & de his dicendum est, qui aliquos de c familia sua, vel propinquos inferiorum graduum simili modo ut cohibeantur à suis insolentis, & scientia, bonisque moribus informantur, duxerint, corrigendos.

NOTÆ.

1. a *Gregorius IX.*] Qui præsentem edidit constitutionem motu proprio, à nemine consultus, pro explicatione censuræ, quæ incurritur ob injectionem manuum in clericos ex canone si quis suadente 17. quæst. 4. de qua egi in cap. 1. seqq. hoc titulo: & etiam excommunicationis minoris, quæ incurritur ob communicationem cum excommunicato, de qua egi in c. significavit, hoc tit.
2. b *Correctionis.*] Modicæ tamen, ut probavi in cap. 1. hoc tit.

c *Familia sua.*] Sed an pater possit filium saceris initiatum impunè corrigere, atque castigare absque eo, quod incidat in excommunicationem canonis, dubitatur. Et id illi licere docuerunt Sylvester in summa, verbo Excommunicatio 6. casu 8. Bonacina de censur. disput. 2. quæst. 3. punct. 6. sect. 4. Navarrus, Filliucius, & alij congesti à Gibalino de censur. in synop. fol. 464. Sed rectius negarunt Molina tract. 2. de justitia, disput. 228. & tract. 3. disput. 56. Layman lib. 1. summa, tract. 5. cap. 5. num. 9. Castropalao disput. 3. punct. 23. §. 3. Gibal. ubi proximè.

CAPUT LV.

Idem a Astoricensi Episcopo.

SI concubinæ publicæ clericorum ecclesiasticæ censuræ districtione notentur, eodem concubinariorum non est dubium sententiâ majoris excommunicationis involvi, qui post latam sententiam communicant in eodem crimine criminosis.

NOTÆ.

a *Astoricensi.*] De Ecclesia Astoricensi egi

in cap. 17. de re judicat. & textum hunc exposui supra in cap. significavit.

CAPUT LVI.

a Idem.

2. DUBIUS collata potestas, ut à minori excommunicatione, si in ipsam inciderint, invicem se absolvant, utroque ligato vinculo excommunicationis, hujusmodi non expirat.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Fff 2

NOTÆ.

NOTÆ.

- I. a **I**dem.] Gregorius IX. videlicet, qui præsentem constitutionem edidit pro decisione illius casus, quando videlicet duobus concessa est facultas se ad invicem absolvendi à minori excommunicatione, utrum videlicet si ambo in eam incidant, possint ad invicem se absolvere? Eras.

ferit Gregorius, posse, quia cum excommunicatus minori excommunicatione tantum prohibitus sit à susceptione Sacramentorum, non verò ab eorum collatione, ut probavi in cap. *si celebrat*, de cleric. excommunic. cap. *significavit hoc titulo*; ideo qui excommunicatione minori ligatus est, potest socium eadem censurâ ligatum absolvere.

CAPUT LVII.

a Idem.

Permittimus Ecclesiarum ministris semel in hebdomada tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, januis clausis excommunicatis, & interdictis exclusis, Missarum solennia celebrare causâ conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur.

NOTÆ.

- a **I**dem.] Gregorius IX. videlicet. Textum hunc exposui in cap. *quod in te, de pœnit. & remiss.*

CAPUT LVIII.

a Idem.

Quamvis incidens in canonem latæ sententiæ propter violentam manuum injectionem, juxta proprias facultates eis satisfaciatur, quibus injurias irrogavit: non tamen aliter quam per Sedem Apostolicam, vel ejus ^b Legatum absolutionis potest beneficium obtinere: nisi imminente mortis articulo, infirmitate e inimicitia, aut inopia, ^d puerili, vel senili ætate, fragilitate, ^e sexus, seu alia corporis impotentia, sive quolibet impedimento canonico retrahatur, quominus Romanum Pontificem possit adire: vel nisi juris beneficio a labore hujusmodi excusetur. Ceterum quibusdam prædictorum, videlicet qui temporali impedimento laborant (exceptis pueris) sub debito juramenti (quod secundum Ecclesiæ formam præstare tenentur) consuevit injungi, ut impedimento cessante ad Apostolicam Sedem accedant, mandatum ipsius humiliter susceperunt.

NOTÆ.

- a **I**dem.] Gregorius videlicet IX. qui etiam hanc constitutionem edidit pro explicatione canonis *Si quis suadente*, juxta suorum prædecessorum decisiones.

^b Legatum.] Aliter videlicet, juxta tradita supra in cap. *ad eminentiam*.

^c Inimicitia.] Ut probavi supra in cap.

^d Puerili.] Juxta tradita in cap. *hoc tit.*

^e Sexus.] Consonat caput *mulieres*, ubi probavi, *hoc tit.*

CAPUT LIX.

a Idem.

Siquem sub hac forma verborum: Illum excommunico; vel simili, à judice suo excommunicari contingat, dicendum est, eum non tantum minori, quæ à perceptione sacramentorum; sed etiam majori excommunicatione, quæ à communione fidelium separat, esse ligatum.

NOTÆ.

- I. a **I**dem.] Gregorius videlicet IX. qui hanc novam edidit constitutionem; nam cum olim excommunicatio simpliciter prolata tantum de minori acciperetur, cap. *Engeltrudam* 3. *quest. 4. cap. cum excommunicato* 11. *quest. 3.* tamen ipse noviter statuit, ut si simpliciter excommunicatio proferatur, intelligatur de majori, quæ fidelium communione privat, & magis timeretur; nam quælibet

dictio in potiori ejus significatione accipienda est. Glossa in l. 1. ff. de *V. O.* probant, atque explicant latè Balboa in cap. 2. de *except. annuero* 98. Gibalinus de *cenfur. disquisit. 1. questione* 2. Nec tunc obstat textus in cap. *de except. lib. 6.* ubi statuitur, reum excipientem advertus actorem de excommunicatione, exprimere debere speciem ipsius excommunicationis. Igitur quia simpliciter excommunicatio non accipitur pro majori. Cui difficultati, omissis traditis à Covar,

Covar. in cap. alma. 1. part. 5. 8. num. 8. dicendum est cum Gibalino, & Balboa ubi supra, Fermosino in cap. cum non ab homine, quest. 3. de iudiciis, in eo textu non affirmari, necessario exprimentam esse speciem excommunicationis à reo excipiente, siquidem id superfluum esset, tum ex presenti textu, tum ex eo, quia tantum excommunicatio major repellit a iudicio, ut probavi in cap. intelleximus, de iudiciis, cap. 2. de except. sed tan-

tum decerni, allegandam esse causam specialem excommunicationis, quia cum in §. si vero, ipsius textus dicatur, probandam esse exceptionem intra octiduum apertis documentis, id nulla ratione fieri poterat, allegatà tantum excommunicatione in genere, nisi illius causa specialis, quæ intra illum terminum probari possit, exprimeretur. Latius prosequuntur Balboa, & Primarij nostri in dicto cap. 2. de except.

CAPUT LX.

a Idem.

PUERIS, qui in canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, sive ante, sive post pubertatem postulent se absolvi, potest diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri: cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.

NOTÆ.

a [Idem.] Gregorius videlicet IX. Textum hunc exposui suprâ in cap. 1.

TITULUS XL.

De verborum significatione.

CAPVT PRIMVM.

a Hieronymus super Osee.

INNOVATE novale. Novale est ager nunc primùm præcisus.

NOTÆ.

I. a Hieronymus.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. final. sed non reperiuntur hæc verba in commentariis ipsius S. Do-

ctoris super Prophetam Oseam: extant tamen in Glossa, quæ vulgò interlinearis dicitur, ubi ad ea verba Prophetæ Osee cap. 10. *Seminate vobis injustitiam, & metite in ore misericordie: innovate vobis novale, legitur: Novale est ager nunc primùm præcisus.*

CAPVT II.

Idem super a Danielelem.

NAM & Rex Nabuchodonosor pater tuus, idest proavus, more b Scripturæ, quæ avos, & deinceps patres appellat.

NOTÆ.

diximus, proavum ejus, secundum consuetudinem Scripturarum.

I. a Danielelem.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & priora illa verba reperiuntur in cap. 1. Danielis, videlicet: *Nam Rex Nabuchodonosor pater tuus; ubi ea D. Hieronymus ita exponit. Quod autem Balthazaris patrem Nabuchodonosor vocat, non facit errorem scientibus sacra Scriptura consuetudinem, quæ patres omnes proavi, & majores vocantur. Et ad illa verba: In diebus patris tui, ait: Et in diebus patris tui. Patrem vocat Nabuchodonosor, ut suprâ*

b Scripturæ.] Et etiam jure civili attento, juxta communem interpretationem, patris nomine avus quoque continetur, l. iusta 201. ff. de V. S. ubi Gentilis, & Fornerius. Nec tantum avus paternus, verum & maternus, l. ut. in fine, Cod. communia utriusque judic. immò & omnes ascendentes, ut docent Chasseneus in consuet. Burgundia, rubrica 751. Acacius Ripol de privil. parent. in prolog. num. 36. qui inde explicat textus in lege Julia, ff. de ritu nupt. l. filium habeo, ff. ad Maced.